




VIE  
L. C. ... IAM

NICOLAUS ...  
...  
DE DANKEIMANN

LIBRARY  
...  
...









3174.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS  
De

14  
185  
1697 156 11

# Iuramenti Calumniæ Remissione,

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
ELECT. BRANDENB. HEREDE &c.&c.&c.

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

CONSENSV ET AVTORITATE MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PRÆSIDE

**DN. IOANNE SAMVELE  
STRYKIO,**

I.V. DOCT. PROF. PVBL. ORDINARIO, ET FACVL-  
TAT. IVRID. PRODECANO,

PATRONO SVO ETATEM NVNQVAM NON COLENDO,  
**PRO LICENTIA**

Summos in vtroque Iure Honores & Priuilegia capeffendi,  
*In Auditorio Maiori horis ante & pomeridianis,*  
D. Februar. Ao. MDC XCVII.

Placidæ eruditorum disquisitioni submittit

**Io. ECKHARD. Bolland/**  
Gudensberga Hassus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Litteris Chr. Henckelii, Acad. Typogr.  
ANNO MDCCV.





INSTITUTIONAL INFORMATION

# Instrumenti Caluarie Remissionis

PROF. DR. THEOL. H. J. ...  
DR. THEOL. H. J. ...

DR. JOHANNES ...  
1788


10 BUCH ...







## PRÆFAMEN.



## [f]iduciam innocentiaē

geris, aduersus omnem calumni-  
am maximam habes securitatem,  
verba sunt Impp. in *L. Sororem* 10.  
*C. de his quib. ut indig.* & profecto  
optimum est contra maleuolo-  
rum calumniam remedium, suā

confidere innocentiaē, & contemnere iniurias, maxime  
cum calumniari, opus sit infame, & quod omnes hone-  
sti merito detestantur, vt ita sibi ipsi calumniatores,  
maximam, aliis vero nullam notam inferant. Sed  
cum tam peruersa sit malorum natura, vt non mansue-  
tudine, sed atrocitate pœnarum, in viam rectam,  
reducendi sint, & boni, ferendo iniurias, sæpius nouas  
inuitent, hinc omni tempore eo allaboratum est, vt  
grauissimis pœnis calumniantes, illi maxime, qui in iu-  
diciis, a quibus tamen omnis malitia quam longissime ab-  
esse debebat, alios infinitis & iniustissimis litibus diuexare  
solent, & ita ex sacrariis iudiciorum speluncas latronum  
efficiunt. Sed vero cum crescente hominum proteruia,  
quilibet suo litigandi pruritu, nescio quem non iustitiaē



lorem conciliare soleant, adeo, ut sæpe ipse iudex dubius reddatur, quo ipso, si non in causa victores existunt, tamen illud efficiunt, ut pro calumniatoribus haberi non possint: Hinc alio remedio adhuc opus erat, ut huic etiam calumniæ occurratur. Quam in rem inuentum est iuramentum calumniæ, ut hoc ipso, tanquam spiritali quadam tortura, etiam tecta calumnia aperiatur, & iudicia ab omni praua libidine purgentur. Hoc autem iuramentum, cum in omnibus causis, & ab omnibus regulariter litigantibus præstandum sit, existimaui, me non inutilem facturum operam, si loco Dissertationis Inauguralis, an non quibusdam casibus hoc iuramentum remitti possit, paulo sollicitus inquirerem. Hanc vero indagationem eo magis necessariam esse censui, quo communiori Dd. calculo adprobata est illa opinio, quæ tantæ necessitatis creditur Iuram. Cal. ut si semel actum, iudex illud remittere plane nequeat, sed etiam si hoc necessarium non esse videat, actorem nihilominus ad hoc adigere debeat. Quæ sententia annon temerariis iuramentis & abufui nominis diuini occasionem præbeat? merito dubium mihi visum fuit. Quæ tamen occasione non potui, quin de abufu etiam iuramenti calumniæ, qui hodie in iudicijs frequentissimus est, sed saluo cuiusuis rectius sentientis arbitrio, quædam adnotarem, id quod principaliter cap. i. actum est. Faue itaque instituto nostro B. L. & si non omnia hic scripta ad palatum tuum deprehendas, aut lapsos etiam nos animaduertas, virum bonum age, & cuncta in meliorem partem interpretare. Deus vero adsit captis nostris & illa felicissimo euentu beet.

CAP.



CAP. I.

De

ABVSV & VSV IVRAMENTI CALVMNIÆ.

CONSPECTVS.

**I**nroitus. n. 1. quid sit I. Cal. n. 2. a quo primitus introdu-  
 ctum. n. 3. An iure diuino. n. 4. an iure Gent. n. 5. an an-  
 te Iustinianum cognitum fuit. n. 6. 7. affirmatur. n. 8. seqq.  
 Laudatur Iustinianus. n. 12. seqq. Reprehenduntur mores. n. 14.  
 vnde tot periuria. n. 15. seqq. Forma iurandi tactis Euange-  
 liis n. 20. laudatur. n. 22. seqq. Vituperatur incauta praxis  
 & commendatur sanctio iustiniæ. n. 24. seqq. præstandum  
 est I. Cal. in præsentia partis aduersæ. n. 28. seqq. Remouentur  
 obstantia. n. 31. seqq. Nec exceptio est in fœmina honesta n. 34.  
 Non admittendum vt in animam alterius iuretur. n. 35. seqq.  
 quod male admittitur in praxi. n. 39. seqq. deberet & Procur-  
 ator Fisci iurare de calumnia. n. 46. seq. ostenditur abusus  
 hac in parte. n. 48. seq. non tamen iurabit in animam Prin-  
 cipis. n. 50. seq. Aduocati etiam iurabunt in singulis causis. n. 53.  
 seqq. Iudices etiam, maxime delegati & compromissarii, iura-  
 re debent. n. 59. seqq. non exigendum I. Cal. in omnibus omnino  
 causis n. 63. 64. declaratur per exemplum. n. 65. si Actor ad  
 petitionem Rei non præstiterit I. C. sententia lata pro Actore  
 non statim dicenda nulla. n. 66. seqq. Non admittenda sen-  
 tentia Cameralis, debere. I. Cal. demum post litem contestatam  
 exigi. n. 70. seqq. perinde etiam esse aebet, siue ore tenus siue  
 in scriptis exigatur. n. 74. seq. Actor a Reo I. Cal. exigente non  
 petat iuramentum malitia. n. 76. seq. Periuri puniendi. n. 78.

A 3

seqq.





seqq. *Pœna calumniatorum de iure Civili. n. 81. seqq. Conclusio capituli. n. 87. seq.*

**D**E remissione iuramenti calumniæ acturus præsentî differtatione, non incongruum erit, si quædam præmittantur de natura huius Iuramenti, eiusque vsu & abusu, qui frequens admodum est in iudiciis, antequam ad ipsas eius remissiones accedam; Cum hæc partim fundamentum constituent illorûm, quæ dicenda in posterum sunt, partim etiam talia sint, quibus vt succurratur, laborandum.

- 2 Est vero iuramentum calumniæ, quod præstant litigantes in iudicio, se credere causam suam esse iustam, & se eam sincere & bona fide prosecuturos. *l. 2. C. de iureiurand. propt. Calumn.* Hoc a quo primitus introductum, & quo tempore cœperit in vsu esse, non
- 4 vna omnium est sententia; alii fundamentum in ipso iure diuino quærunt, & quidem *Exod. 22. v. 11. Surdus decis. 18. n. 9.* Ioan. Baptist. *de arbitris lib. 1. q. 10. n. 12.* Menoch. *de arbitr. iudic. quest. lib. 1. q. 20. n. 2.* Sed illi oppido falluntur, cum cuius locum illum inspicienti, pateat, non de calumniæ, sed de iudiciali iuramento, *S. Codicem* ibi agere. Alii iuri Gentium originem adscribunt, cum & aliæ gentes maxime Athenienses iuramentum calumniæ non ignorauerint, *Wefenbec. in*
- 6 *paratit. Cod. de iureiurand. propt. Calumn. n. 5.* In eoramen plerique conueniunt, non primum a Iustiniano, hoc iuramentum introductum esse, cum & Cicero *l. 8. Epist. 8.* & Plinius *lib. 5. Epistol. ult.* eius mentionem faciant. Imo  
in



in ipsis Digestis etiam, haud raro eius mentio iniicitur, in l. 6. §. 2. & l. 9. §. 3. ff. de edendo. l. 8. §. 5. ff. qui satisd. cogant. l. 15. ff. ad exhibend. l. 24. §. 4. & l. 37. ff. de iureiur. l. 11. §. 1. ff. rerum amotar. l. 5. §. 14. ff. de nou. oper. nunciat. l. 13. §. 3. ff. de damn. infect. l. 44. §. 4. ff. familiae heresc. Vt inde haud obscure pateat, ante Iustiniani tempora, cum scilicet florent auctores illarum legum, iuramentum calumniae iam cognitum fuisse. Hinc mirum in modum invehunt in Iustinianum plerique, quod sibi tribuat, ac si primus hoc iuramentum inuenisset. Ita Anton. Pichardus, Ictus Hispanus, in comment. ad §. 1. Inst. de poena temere litigant. n. 20. haec verba habet: Probabilius est, pro insita & ingenita iactantia hoc sibi Iustinianum vindicasse, ut alias solet. A quo non multum diuersa sunt Schneidewini verba, in comment. ad dict. §. 1. n. 5. Addatur Wesenbec. in Paratit. ad tit. de iureiurand. propt. Calumn.

Nostram igitur ut exponamus sententiam, non quidem nunc defendere Iustinianum animus est, sed tamen iniuriam ipsi fieri & citatos potius auctores, iactantius, quam par est, loqui credimus. Primo enim Plinii & Ciceronis loca adeo clara nondum sunt, ut non etiam ad alia iuramenta extendi possint, & ita non proprie de hoc iuramento calumniae intelligenda. Deinde omnes citati textus ex Pandectis de iuramento speciali malitiae, quod in quavis iudicii parte, toties praestatur, quoties praesumptio malitiae adest, loquuntur, non de iuramento generali calumniae, quod ab utraque parte in exordio litis super tota causa praestatur, excepta sola *Lege 44. §. 4. ff. familiae herescund.* Vbi tamen nondum expeditum est, an non  
ver-



verba, *ideo iurare debent, non calumnia causa litem intendere*, a Triboniano sint textui inserta, vti id Giphanius, non improbabiler, asserit: quemadmodum nec illud constat, an etiam iuramentum calumniæ olim in aliis quam familiæ herciscundæ Iudiciis fuerit obseruatum?

11 Tandem vero quicquid etiam horum sit, posito nunc & iure Digestorum, & antiquioribus temporibus, iuramentum calumniæ notum fuisse, forma tamen & plura specialia ipsi adiecta, imo in vsum iterum reuocatum illud est a Iustiniano, postquam antea in desuetudinem abierat, optimo consilio, vt ita omnem calumniam in iudiciis exulare faceret. Quod vero sibi soli hoc tribuerit & de hoc nouo inuento gloriatus fuerit, id quidem reperire hactenus nullibi licuit.

12 Sed relinquamus illa suo loco, nobis enim, pro instituti ratione, perinde erit, siue ante Iustinianum, hoc iuramentum fuerit cognitum, siue secus, id tamen negari a nemine poterit, laudem vel eapropter mereri Iustinianum, quod hoc iuramentum in vsum iterum

13 reuocauerit. Est enim omnino saluberrimum dirimendarum litium remedium, quo ipso non lites tantum, sed etiam calumniatores minui honestissimo negotio possunt, vti verba sunt Imperat. *in l. 2. §. Cod. b. t.*

14 sed vtinam in iudiciis etiam nostris, hæc omnia rite ac legitime obseruarentur, ac non tam prona occasio, partim calumniæ, partim periuriis præberetur quod sane contingit, dum nusquam huius iuramenti temeratores puniri videas.

15 Vnde est, quod plerique asserunt, magis hodie de calumnia committenda, quam omittenda iurari, adeo vt propter contemptum Dei, & religionis, ne obulo quidem dignum indi-



indicetur. Io. Oldendorp. *progymnasm. forens. class. 1. act. 7.* Baldus *in l. 24. Cod. de euct.* Scaccia *de iudic. lib. 2. c. 1. n. 125.* Io. Bauman. *de sequestr. c. 17. n. 24.* Iurga Valent. *Winther in parthen. litigios. lib. 2. c. 6. n. 19. add.* Petr. Fontanell. *tom. 1. decis. 18. n. 7.* Alexand. Sperell. *Decis. fori Ecclesiast. part. 2. decis. 117. n. 58.* & huc pertinet etiam notabile illud exemplum cuiusdam Procuratoris, qui in agone mortis constitutus sæpius iterumque exclamauit: O IVRAMENTVM CALVMNIÆ! Quod refert Petr. Frid. Mindan. *in Epistol. dedicat. lib. 1. de Process.*

Huic vero malo, quid causam dederit, nunc penitus dispiciendum est. Sed fateri necessum habemus, huc etiam pertinere, quod asserit acutissimus Italus Giou. Anton. Palazzo. *part. 4. del gouerno di Statoc. 14.* scil. non leges, sed imperfectionem ministrorum, causam esse malæ gubernationis. Nam & hujus malicausa, non leges, quæ iuramentum calumniæ introduxerunt, sed ipsi plerumque ministri legis. h. e. iudices sunt. Idem persuasum habemus, euitari abusus illos posse, si LL. quæ saluberrimum hoc tollendæ calumniæ remedium introduxerunt, ex asse obseruarentur.

Optime enim Louaniensis Ictus Anton. Perizius. *ad tit. C. de iureiur. propt. Calumn. n. 11.* Quare, inquit, cum periurii causa sit hominum malitia, non lex quæ periuria prohibet & punit iubetque iuramenta præstari ac inuiolabiliter seruari, ideo tanto seuerius iuramentum calumniæ exigendum erit, & ubi de calumnia commissa quis conuinci possit, tanto grauius periurium puniendum, quo exemplo deterriti minus delinquant alii. L. 6. §. 1. ff. de pœn.

B

Aquo



- 19 A quo non ab familia habet Io. Oldendorp. *tom. 2. clas. 1. ad. 7. in fine.* Habemus nunc dicit, iuramentum calumnie, quo periuria magis introducuntur, quam excludatur calumnia. Quare cum grauissimi LLatores quondam curiosi fuerint, de expellenda litigantium calumnia, male nunc agitur cum Rep. Christiana, quod ea, quæ bonum in finem instituta fuere, conuenientibus oculis aboleri patimur, quæ tamen præstaret obuiis manibus amplecti.
- 20 Videndum igitur in quonam potissimi abusus consistant, nam sic statim apparebit etiam, quis legitimus iuramenti calumniæ vius sit. Et primo quidem non frustra in *l. 1. § 2. pr. C. de iureiur. propt. calum.* adicit Imperator, debere iuramentum calumniæ præstari, Sacrosanctis Euangelis ante ludicem positis, & in *l. 14 §. 1. C. de iudiciis,* Aduocatos iurare debere *Sacrosanctis Euangelis tactis*, qualis iurandi forma eo tempore admodum vsitata erat: inde & furiosi curator iubetur dicto modo iurare, præsentè religiosissimo Antifsite. *l. 7. §. 5. C. de curat. furios.* Addatur *Nouell. 9. vbi administratores,* & *Nou. 123. t. 7. vbi sacerdotes* iurare obligantur *προκειμένων τῶν ἁγίων ἐναγγελίων.* Quo sensu etiam S. Scriptura terribilis vocatur in *l. 13. §. 4. C. de Iudic. conf. Nou. 8. c. 3. Nou. 74. c. 5.* vid. Anton. del Re.
- 22 *de iuram. calumn. C. 6. n. 10. seq.* Non inquam, frustra id factum esse existimandum est, sed ideo, vt hoc signo moneantur iurantes, iuramentum ita præstitum nisi cum magno scandalo violari non posse, sed irreparabile damnum sibi attrahere peierantes, dum omni diuina gratia, quæ per S. Euangelium nobis promittitur, se indignos, ac ita reos seuerissimæ pœnæ æterni supplicii reddunt. Quo facit locus D. Chrysofomi in *homil.*



*homil. 15. ad populum ubi in simili ita loquitur: Cum super mensam adiuras sacram, & ubi Christus positus est immolatus, ibi fratrem tuum immolas; saltem istum librum reuerere, quem in iuramento porrigis.* Hinc est, quod hodie et-  
 23 iam hic mos in electione Imp. obseruetur, ita vt tactis Euangelis iurare teneantur Electores. A. B. tit. 2. pr. De quo iurandi ritu eiusque iustitia, vid. Io. Theodor. Sprenger *Iur. publ. c. 4. p. 145.* Buxtorff. *ad A. B. tit. 2. tb. 29 lit. A.* Frider. Balduin. *casib. Consic. lib. 2. C. 9.* Wahremund ab Ehrenberg *de fœder. lib. 2. c. 1. n. 151.* Eman. Gonzalez Tellez. *ad cap. fin. X. de Iur. calumn. n. 8. seq.* ubi prolixè de variis tactus in iurando adhibiti generibus agit.

Apud nos vero hodie ita iuratur, quasi leuioris mo-  
 24 menti esset iuramentum hoc: inde adeo assuefactos esse Procuratores ad iurandum, vt non pluris faciant iuramenta, quam domus vetusta fumum, dicunt Gœden. *conf. 87. n. 27.* Color. *part. 1. decis. 115. n. 10.* Debebant itaq; 25 isto iurandi modo tactis Euangelis doceri iudices, non, nisi cum summa præparatione, ac sufficientissima admonitione, ad iuramentum calumniæ admittendum quempiam esse: ea enim erat Iustiniani optima intentio. Hinc Iurga Valentin Winther *in part. ben. litigios. 26*  
*lib. 2. c. 6. n. 24.* eundem abusum vehementer reprehendit, & pariter fatetur non contemnendos fuisse illos in præsentia Euangelii iurandi ritus, ac ita tandem subiicit: *Hi (sc. iudices,) litigaturientes moneant, muni-  
 27 niant, mimentur periurii, grauitatem, litigii prauitatem, quo remedio & multis periuriis, & multis litibus præcauebitur.* Sic enim non lites solum, sed etiam calumniatores mi-  
 nuentur; sic pro iudiciis putabunt sese homines in



sacriis fisti, vti eleganter loquitur imperator *in L. 2. §. 8. Cod. b. t.* Nam iudicia cum recte procedunt, æquitate delubra, cum deprauantur, foveæ fallaces & cœcæ sunt; vti ex Ammiano refert Gothofredus *in not. ad d. loc.*

- 28 Abusus etiam est, quod iuramentum calumniæ non præstetur hodie in præsentia partis aduersæ, vel eius procuratoris, specialiter instructi, id quod in specie requirebatur de iure ciuili, *d. l. 2. §. 1. & 3. Cod. 29 b. t.* in tantum vt & egregiæ personæ, quæ alias priuilegium habent, quod domi iurare possint, *l. 15. ff. de iureiur.* excepti non sint, sed pariter in alterius partis vel ejus procuratoris præsentia, de calumnia iurare 30 teneantur, *d. l. 2. §. 1.* Nec enim incogitanter hoc ibi additum, nam certe emollitur temeritas iurandi, ac facilius praua conscientia proditur, si aduersarius ipse, vel eius procurator præsens sit, qui iurantem moneat, vt non animam periculo exponat, cum tamen iniustitia causæ ipsi incognita esse nequeat; Difficile profecto erit iuranti, si malam causam habeat, non- 31 aliquod deprauatæ conscientiæ signum edere. Vt ita persuaderi mihi non patiar ab Anton. del Re *cit. tract. v. 6. n. 5.* eundem operari effectum, siue parte ab- 32 sente, siue parte præsentia iuretur. Nec tollitis difficultatem, distinguendo *n. 6.* an petatur ab aduersario, vt in ipsius præsentia iuretur, an secus; nam licet id non petatur, requirenda omnino est alterius partis præsentia, & quamuis pars concederet, Iudex tamen consentire non debet, vt ab altero periurium commit- 33 tatur. Nec obstat illis, quæ dicta sunt, quod *d. l. 2. §. 3.* permittatur etiam absente parte altera iuramentum hoc



hoc præstare; nam additur ibidem, *si id Iudex perspexerit.* Itaque Iudicis arbitrio relinquitur, an opus sit vt adhibeatur Reus, veluti si Actor pro se multas habeat præsumptiones, probationes & sit integræ vitæ ac optimæ existimationis, tum enim omnino præsentia aduersarii, adeo necessaria non est, quam si res valde dubia ac incerta. Ea vero ridicula est exceptio, si non plane absurda, quam facit Franciscus Curtius *ad l. 2. §. fin. C. b. t. n. 7. in f.* existimando, honestam mulierem non teneri in præsentia partis iurare, addita ratione, quod se parti exhibere non teneatur, sed hoc adduxisse est iam refutasse, ideo hic non hærebimus.

Nec negligi debebat, quod iam seuerè in *d. l. 2. 35 §. 3. & Authent. Principales. §. 4. d. l.* inculcat Imperator, vt scil. non aliter procurator admittatur, ad pertractandam litem, nisi principalis etiam ipse in persona propria hoc iuramentum præstiterit, adeo vt si absens sit, in patria sua; & in loco domicilii ei iurandum incumbat, & quidem, prout notanter adiicitur, *actis interuenientibus*, hoc est, in præsentia Iudicis, & obseruato ordine præscripto, vt hac ratione per procuratorem in alterius animam præstari hoc iuramentum non possit. Huic vero obstare videtur, quod in *ea-36 dem l. 2. §. 3.* Imperator reo expressè permittat, vt per procuratorem præstet hoc iuramentum calumniæ, his verbis: *similique modo si reus absuerit, & forsitan per iudicatum solui stipulationem procuratorem ordinauerit, vel defensor pro eo interuenierit, & ipse vel præsentè actore per se, vel per instructum procuratorem, vel etiam absente eo, inter acta iuramentum præbet.* Fateor hæc



verba, primo intuitu, me ipsum dubium fecisse, sed re bene perpenſa, omne dubium facile euanuit. nam procurator inſtructus ibi non a parte rei, ſed a parte actoris admittitur: Vt hic ſenſus fit; debere rei abſentis procuratorem vel deſenſorem præſtare iurament. Cal. præſente actore, vel actoris inſtructo procuratore, nam realem ipſius partis alterius præſentiam, non deſiderat Imperat. *vid. d. l. 2. §. 1. in fin.* Exinde tamen non euinci poteſt, ergo rei procurator nomine & in animam rei iurat, de hoc enim lex tacet, & potius contrarium vult, quia eo ipſo loco dicitur, ipſas principales perſonas etiam abſentes iurare teneri, ſi autem hoc, quid opus vt procurator adhuc ſemel in principalis animam iuret. Illud vero exinde conſequitur, falli vehementer Obrechtium in eo, dum ſtatuit, *in tract. de Iur. Cal. c. 6. n. 12.* de iure ciuili procuratores plane non teneri ad præſtandum hoc iuramentum. Ex hoc enim textu ſufficienter refutatur, cui ſi iungatur *§. 8. d. l. 2. & l. 14. §. 1. Cod. de Iudic.* nihil cerdo ſupererit dubii.

39 Hæc de Iure Ciuili, moribus vero noſtris extra dubium eſt, admitti procuratorem, qui in animam principalis hoc iuramentum præſtet, Gail *lib. 1. obſeru. 83. Meu. part. 4. deciſ. 113.* Berlich. *part. 1. concl. 31. n. 14.* vbi ingentem catalogum eorum exhibet, qui eiudem ſunt ſententiæ. Sed hoc ipſum non poteſt non inuitare periuria; vnde etiam iure meritoque olim dubitatum eſt in Camera, an procurator in principalis animam iurans, admittendus ſit, *vid. Gail. cit. loc. n. 1*

40 Liceat ſententiam noſtram, alienis potius quam noſtris explicare verbis, ita autem iurga Valent. Winther



ther cit. tract. lib. 2. c. 7. n. 12. Abroganda inquit, consuetudo, hoc præsertim malitioso seculo, qua aduocatis calumnie Iuramentum remittitur, & ius ciuile in forum reducendum, atque constituendum, ut non solum colligatores, sed & aduocati & procuratores, vnusquisque in propriam non alterius animam iuret, ieiuno stomacho, maiore solennitate atque cereмония, quam huc vsque magno Reipubl. detrimento, & pluribus periuriis factum. Litigaturientes enim dum vident, per procuratorem iuram. calumn. præstari posse, faciliores sunt ad iurandum, parum considerant, aut intelligunt, ut illud iuretur, quod sibi lis iusta videtur, hoc procurator sciat, qui quidem iurauit nomine tuo, sed non tuo nomine descendet in gehennam; addi poterat. vel tecum descendet. Hæc quin contingant quotidie, nemo probus, vitiorumque nostrorum tribunalium gnarus ibit inficias, cur itaque hæc tolerantur? Equidem in genere non disputabo, an licite iuramentum per procuratorem possit præstari, de qua re vid. Oldekop. tract. de iureiur. in alterius animam. Sed fiat id in aliis causis, non tamen debebat ad iuramentum calumniæ, quod tantæ est consequentiæ, procurator, nisi proprio nomine iuraturus, admitti. Amplectenda igitur foret ambabus manibus eorum sententia, qui hoc iuramentum in alterius animam præstari non permittunt. Inter quos sunt Cuiacius ad Nouell. 124. post. post princ. Alber. de Malet. tract. de testibus. C. 4. n. 11. Conferatur Brunneinan de Iure Ecclesiast. lib. 3. c. 5. §. 15. Scaccia de Iudiciis lib. 1. c. 1. n. 178.

Procuratorem Fisci ad præstandum hoc iuramentum non obligari, in praxi manifestum est. Harprecht. ad §. 1. Inst. de pena temere litigant. n. 49. Gail. lib.



*lib. 1. obseru. 90. n. 4. Obrecht. d. tract. c. 6. n. 32. Crusius de Indicis Part. 1. c. 66. n. 14. Mynsing. Cent. 1. obseru. 74.*

- 44 Vbi in Camera receptum esse fatentur. Sed vero, quemadmodum illi ipsi negare non possunt, quod id contra expressam iuris Ciuilis dispositionem fit, nec Fiscus, hoc capite, vllibi priuilegiatus deprehendatur, ita, si non tollenda, restringenda tamen est illa obseruantia. In quonam vero lateat abusus nostræ consuetudinis, id paucis nunc demonstrandum. Scilicet notum est omnibus, & prolixo non indiget
- 45 commentario, quam hodie adulari soleant Principibus fiscales, vt terminos quos eorum ambitio sibi proposuit, eo felicius attingant. B. Brunnem. *de I. Eccl. l. 3. c. 5. §. 16.* Contra quos adultores quomodo muniendus fit Princeps, videri potest *le Secret des cours ou le Journal de Walsingham. Chap. 12.* Hinc ad delationes etiam inuaidissimas, & absque vlllo sæpe fundamento, ruunt contra innocentes, ac nescio quæ non delicta fingunt, non amore Iustitiæ, & vt officio suo satisfaciant, sed ne hæc exoptatissima priuatos affectus libidinemque
- 46 suam explendi occasio præterlabatur. Vnde Chastaneus *in consuetud. Burgund tit de confiscat. rubr. 2.* Fiscalem definit, quod sit *vir parum placidus, omnibus inuisus, parum aut nihil equitatis in se habens.* Quam quidem definitionem meam non facio; sed hoc tamen certum est, a nullo magis abesse debere calumniam, quam a Fiscis procuratoribus, ne ipsi Principi aliqua simul macula tacite inferatur. Si itaque vir bonus sit talis Procurator & cui iustitia curæ cordique est, lubenti animo hoc iuramentum præstabit, sin vero id renuat, haud vanam calumniæ suæ suspicionem ipse suggeret. Quamvis enim



enim pro Principe fit præſumptio, non tamen illa mox  
 eſt pro eius miniſtris; Hinc & non requirimus, vt 50  
 Principis, ſed proprio nomine iuret, Græu. *Concl. 90.*  
*n. 5. ſeqq.* nam vt tum demum ad præſtandum hoc Iur. 51  
 adigatur, ſi Princeps, cuius nomine agit, iniuſticiam  
 exercere fit ſolitus, vt tradit Lucas de Penna, *ad l.*  
*unic. Cod. de Conduct. & procurat. n. 5.* id non modo ſe-  
 curum non eſt, ſed & ridiculum. Quis enim ſubdito-  
 rum Principem, vnius actus iniuſti, ne dicam plurium,  
 convincere poterit? Conferatur pro noſtra ſententia, 52  
 Anton del Re *cit. tract. C. 18. n. 15.* cuius verba cum nota-  
 bilia ſint, huc adferre liceat: *Sed, inquit, iſtud eſt magnum*  
*inconueniens, & eſt abusus non tolerandus paſſim, cum per*  
*ciuitates noſtri temporis adſint quidem procuratores Fiſci, in*  
*quibus nullus Dei timor impreſſus videtur, omnia enim huma-*  
*na & diuina iura conculcant, nullis legitimis terminis ſerua-*  
*tis, cauſas rerum ſtrangulant, de factō carcerant non carce-*  
*randos, vt per concuſſiones ſubditos exoriant, & omnia per*  
*ſas & nefas ipsis licere arbitrantur, dum crumenam impleant;*  
*Et non ſolum ſe non exhibent ſubditis Procuratores Fiſci, &*  
*Paſtores tondentes lanam pecudum pelle tenus; ſed exhibent*  
*ſe lupos rapaces, lacerantes viſcera & etiam inteſtina popu-*  
*lorum, & iſtud experientia rerum magiſtra paſſim docet.*

Non omittendum etiam eſt, quod in multis locis 53  
 receptum reſtantur Dd. vt ſcil. ſi aduocati ab initio ſuſce-  
 pti officii iuramentum præſtiterint, poſtea ad iura-  
 mentum calumniæ in ſpecie non obligentur. Perez *ad*  
*tit. Cod. de iureiur. propt. calumn. n. 5.* Gudelin. *de Iure*  
*Noviſt. lib. 4. c. 8. in ſin.* Merul. *lib. 4. diſt. 4. ſect. 3. tit. 8. c. 3.*  
 & 4. Vinnius *in comment. ad §. 1. Inſt. de pen. tem. litig.*  
 Verum fatetur ipſe Perez *cit. loc. magno Reipubl.*

C

malo



- 54 malo id receptum esse. Prout enim corrupta ac peruerſa eſt hominum natura ad mala inclinans, ita videmus, proh dolor! homines ſui officii, licet arctiſſimo iuramenti vinculo adſtricti ſint, communiter immemores exiſtere, itaque omnino eius memoria reuocanda, id autem fieret, ſi iuramentum calumniæ aduocati in ſingulis cauſis præſtare compellerentur. Eſt enim iuramentum calumniæ in ſingulis cauſis nihil aliud, quam repetitio illius iuramenti, quod ab initio, cum in numerum aduocatorum recepti fuerunt, præſtiterunt, quæ iteratio impedit, quo minus immemores ſui iuramenti ſemel præſtiti conſcientiam vulnerent, vt diſſerit B. Brunneſman *in Proceſſ. civil. c. 15. n. 9.*
- 56 Neque hæc repetitio iuramenti ſuperflua ac profanatio Nominis diuini, dici poteſt: per quod enim homines a periurio detinentur, eo ipſo potius ſanctificatur, quam profanatur nomen diuinum. Cui non obest, ſolam admonitionem, dum iuramentum prius præſtitum generale in animum reuocatur, ſufficere; nam deploranda docet praxis, admonitiones imo & promiſſiones ſub fide iuramenti hodie flocci haberi, vt ita nouo iuram. rite legitimeque, vt ſupra dictum, exacto
- 58 opus ſit. Quam ob cauſam, hæc noſtra etiam ſententia in R. I. de Anno 1654. §. über dieſes verordneten wir ibi: *we auch denen procuratoren und advocaten / denno confirmata eſt.*
- 59 In vſum etiam reducenda eſſet, ſaluberrima iuris ciuilis conſtitutio, quæ in *L. Rem non nouam 14. pr. Cod. de iudic.* reperitur, qua optime ſancitum, omnes iudices ſue maiores, ſue minores, qui ex iuriſdictione ſua iudicandi habent facultatem, vel qui ex recepto, id eſt compromiſſo (quod  
indi-



*iudicium imitatur) causas dirimendas suscipiunt, vel qui arbitrium peragunt, vel ex auctoritate sententiarum & partium consensu electi sunt, & generaliter omnes omnino iudices, Romani iuris disceptatores non aliter litium primordium accipere debere, nisi prius ante sedem iudicalem sacro sacra deponantur scriptura; vbi post aliqua, iuramentum, omnimodo se se cum veritate & legum obseruatione iudicium esse disposituros, antiquis temporibus ab iis exigi solitum, de nouo confirmatur, & omnibus Iudicibus præstandum iniungitur. Hodie, vtut sciam ordinarios iudices plerumque ab initio adepti officii iuramento confringi, id tamen desideratur in delegatis, & commissariis, aliisque temporalibus. Nam a iudice omnium maxime abesse debet calumnia, quæ tali iuramento coercetur, vt ita illud etiam vocare iuramentum calumniæ non dubidem cum Setfero de Turam. l. 3. c. 3. n. 2. 62 Non etiam inique obseruari possit ille ritus in d. l. præscriptus vbi semper ob oculos habere sacras scripturas iubetur iudex. Sic etenim, vt ibi eleganter Iustinianus, attendentes ad S. S. scripturas & Dei presentia consecrati, ex maiori præsidio lites diriment, scituri quod non magis alios indicant, quam ipsi indicantur &c.*

Non modo in ciuilibus, sed & spiritualibus causis iuramentum calumniæ præstandum esse, expeditum est, Scaccia de iudiciis lib. 2. c. 1. n. 148. Quorsum cum etiam pertineant matrimoniales causæ, hinc & in illis hoc iuramentum exigitur. Anton. del Re c. 19. n. 44. id autem quamuis in se bonum satis sit ac laudabile, abusus tamen est, quod hoc in omnibus causis ac circumstantiis, nulla adhibita distinctione, obseruetur, vnde non possunt non manifesta periuria oriri. Quæ res



65 dato casu fiet manifestior; Fac igitur, puellam coram Consistorio conuenire Titium, ratione illati stupri & promissi matrimonii, & cum Titius factum negaret, hanc in defectu probationis illi deferre iuramentum, eum autem exigere a puella iuramentum calumniæ; Hic videbis in praxi haud raro pronunciarī, quod puella, primum de calumnia iurare, & postea reus iuramentum delatum præstare debeat: Quo facto an non ad peierandum alter adigitur? Est enim in hoc casu, ubi de facto proprio disputatur, iuramentum calumniæ simul iuramentum veritatis, dum enim puella iurat, quod Titio non malitiose detulerit iuramentum, simul hoc ipso fatetur, quod a reo stuprum passâ sit, dum autem postea Titius, quod rem cum ea non habuerit iurato asseuerat, oportet, vt vnus ex hisce peierauerit. Igitur aut non erat exigendum iuramentum calumniæ, aut Titius mox condemnandus, & non admittendus ad præstandum iuramentum delatum. *Setserus tract. iurament. lib. 3. c. 4. n. 13.*

66 Communis etiam opinio est, quod si reus petierit ab actore iuramentum calumniæ, ille vero non præstiterit, & postea pro actore iudicatum fuerit, tum sententia ipso iure sit nulla, *Roland. a Valle. lib. 1. cons. 71. n. 2. Dn. Müller in Comment. ad Stru. Exerc. 17. tb. 74. lit. B.* Sed quis non videt hoc potius maiori peccato occasionem suppeditare, quamuis enim non diffitear, iudicem non bene fecisse, quod iuramentum Cal. non exegerit ab actore, interim tamen cum talem litigandi causam habuerit, vt etiam pro ipso fuerit iudicandum, satis apparet, nunc calumniose a reo sententiam



tiam nullam dici; si enim de iustitia causæ constet, 67  
omisso iuramenti calumniæ non poterit inducere nul-  
litate[m]; si vero in futurum, durante hoc processu, me-  
tuatur ab actore calumnia v. g. in instantia appellatio-  
nis, tum adhuc exigatur illud iuramentum, id enim  
fieri posse docet. B. Brunn. in *Proc. civ. c. 15. n. 16.* add.  
Setzer. *d. tr. lib. 3. c. 6. n. 4.* Illa tamen, quæ hæcenus in  
iudicio agitata, non statim propterea reddenda sunt  
nulla, imo si videat iudex friuole plane a parte exigi 68  
hoc iuramentum, id non modo præterire tacite, sed  
& expresse inhibere potest, ne superuacuis iuramentis  
diuinum nomen profanetur, quæ optima est Meuii sen-  
tentia *part. 2. Decis. 32.* Sæpissime enim ex leuitate mag-  
gis, & ingenii libidine, quam necessitate hoc iuramen-  
tum defertur. Conferatur idem Meui. *part. 6. Decis. 247.* 69  
Hic vero communem Dd. cœtum pariter in contrari-  
um abire dolendum est, quasi sententia atque to-  
tus actus mox nullus esset, nisi prius præstitum, quod  
exactum (sed temere) fuerit iuramentum, de qua  
tamen materia plenius agemus in cap. III.

Pariter recepta in Imperiali Camera praxis est, 70  
quod hoc I. Cal. non possit nisi post litem contesta-  
tam exigi, in tantum, vt si antea præstetur, totus pro-  
cessus nullus sit. vid. Blum. in *Proc. tit. 72. n. 22.* Sed abu-  
sum hunc non leuem, quis non agnoscat? Nam & 71  
eo ipso, dum I. C. ante litis contestationem præstitum  
annullatur, simul illud efficitur, vt nomen Dei a iuran-  
te in vanum sumptum sit, præter vllam necessitatem,  
imo præter intensionem ipsius iurantis. Sed & ini-  
quum est, iuramenti vim ex hoc solo eludere velle,



- quod anticipando præstitum sit, si modo circa iuramenti materiam nihil omissum, modus sane non variat rem, & sic nec tempus iuramentum. Quod si ipsam formam l. cal. quæ in *R. I. de Anno 1654. §. über dieses verordnen wir præscripta*, attendamus, illa Cameralium Dd. sententia expressis verbis refutatur. Ita enim partibus iurandum præscribitur ibidem, *Daß sie eine gerechte Sache zu haben glauben / was sie vorbringen und begehren / nicht aus gefahrde oder böser Meinunge / noch zu Auffschub und Verlängerung der Sachen sondern allein zur Nothdurfft thun / die Wahrheit nicht verhalten / auff des Gegentheils vorbringen und Erzählunge der Geschicht in allen seinen Umständen ohne Gefehrde antworten ic. vbi per verba Erzählung der Geschicht / manifesto indigitatur, quod ante litem contestatam præstari hoc iuramentum debeat: Nam postquam lis contestata est per contrariam narrationem facti, frustra hæc clausula iuramento inseritur, quippe iam responsio facta est. Quod etiam rationi conueniens, quia in narratione facti omnium maxime calumniari quis & mentiri potest, vnde etiam in primordio litis peti id debere ex *l. 2. pr. §. ult. C. b. t.* constat, vti hoc recte asserit. B. Brunne-*
- 74 *mannus in Proc. ciu. c. 15. n. 20.* Sed nec illud absque aliqua censura dimitendum, quod in Camera non sufficiat, si in scriptis hoc iuramentum exigatur, sed præcise oretenus a parte petendum sit, vti testatur Blum. 75 *d. l. n. 4. conf. Gail. lib. 1. obs. 87. n. 7.* Sed quid, obsecro, hic in effectu intererit, siue in scriptis, siue oretenus id exigatur? Ita vero luditur iuramentis & leui prætextu eorum virtus eliditur.
- 76 Illud etiam communiter obseruatur, quod si reus ab actore petat hoc iuramentum, hic a reo, mox exigat iura-



iuramentum malitiæ; id vero non modo male fit, cum nemo malitiosus dici possit in exigendo illo, quod lex ipsa ab actore præstari vult: sed & fatis cautum non est, nam iuramentum malitiæ hoc casu nihil amplius involuit, quam reum non malitiose detulisse I. Cal. hac autem ratione reus tacite liberatur a præstatione I. C. generalis, sc. se interrogatum veritatem diffiteri nolle, quod tamen vtrique parti præstandum in iudicio incumbit. *l. 2. pr. C. b. t.* Hinc exigere potius actor debet a reo, vt pariter I. C. generale præstet. Id quod aduocatis obseruandum commendat Illustr. Dn. Stryk. *in introductione ad praxin forensẽm c. 12. §. 6.*

Tandem vero id adducendum adhuc est, quod quasi vnice calumniam litigantium auget, scilicet, quot non calumniose geruntur processus, vti ex fine negotii fatis postea constat iudici? Horum numerum inire, etiam in minimis iudiciis, vix posses, si periculum facere placeret. Sed, quæso, quando vnquam punitos vidisti tales calumniatores? Certe aut nunquam, aut rarissime. Hac itaque ratione inuitantur quasi calumniatores, vt veniant modo & pro libidine processus instituant, quia nulla eos pœna exspectat; id quod profundissimas meretur lachrymas! Nec enim me mouet, quod Accursius *ad l. 2. C. de reb. cred.* Menoch. *de A. I. Q. cas. 319. n. 28.* Baldus *lib. 5. conf. 299.* Barbosa *ad capit. 5. X. de I. Cal. n. 4.* asserunt, in iuramento calumniæ periurium esse inculpabile, & non in hoc, sed in alio puniri debere seculo; hoc enim vel intelligendum de periurio latente & non manifestato, vel nullum plane probi Icti assensum meretur. De ciuili iure calumniatores  
81  
in



- in partem litis decimam reo exsolvendam condemnabantur, reuocauit tamen Iustinianus in usum veterem calumniæ actionem, per *Nou. 112. c. 2. Aurb. generaliter C. de Episc. & cler.* Exemplum huius calumniæ actionis exhibet optimus Iustiniani paraphraestes Theophilus in
- 82 *institut. Græc. tit. de pæn. tem. litig. §. 1. in fin.* Quam decimam litis partem distinctam esse a decima expensarum de qua in *l. pen. pr. C. de fruct. ex lit. expens.* contendit Paul. Voet. in *comment. ad §. 1. Institut. de pæn. tem. litig. n. 9.* cuius tamen sententia admodum dubia, ob verba Nouellæ; *sumptuum & expensarum nomine*, quæ eadem in Haloandri versione & in textu Græco reperiuntur,
- 83 Ast nostris temporibus non modo non in decimam litis partem, sed sæpe nec in expensas condemnantur calumniatores.
- 84 Porro pænæ negantium in usum reducendæ forent, de quibus in *Aurb. contra qui C. de N. N. p. & Nou. 18. c. 8.* & augendæ, ita ita vt omnis negans manum, vel factum proprium, duplum solvere
- 85 teneretur, si fuerit conuictus. Et calumniatores infamia adficiendi *arg. l. 6. ff. de postul. l. 78. §. 6. de legat. 3.* eaque adfecti a iudiciis publice repellendi, & tanquam periuri insuper grauissimis pænis coercendi. vid. prolixè Iurges Valent. Winther in *Partb. litig. lib. 2. c. 7. n. 14.*
- 86 *seqq.* sed hæc omnia in iudiciis nostris negliguntur, & quamuis thesin defendamus, quod periuri infamiæ notam incurrant, nunquam tamen videmus vllum per iurum a iudicio repelli; id vero iudex ex officio facere debebat.
- 87 Plura de abusu huius iuramenti dici poterant, sed hæc tanquam præcipua notasse sufficiet. Vnde nunc manifestum redditur, non melius prospectum
- iri



iri iudiciis, quam si saluberrimæ Iuris Ciuilis constitutiones pro sanctitate iuramenti calumniæ in vsum reuocarentur, quo longius enim hoc passu a Iustiano Imperat. receditur, eo magis calumniæ in dulgetur licentia, & ianua quasi omnis aperitur. Nec etenim iuramentum calumn. sed malam eiusdem obseruationem ac communem neglectum, adeoque imprudentiam lenitatemque iudicum causam tot periorum esse, cordati omnes mecum fatebuntur. Laudibus contra extollendum ius ciuile quod tam egregium nobis contra calumniam dedit remedium. Pro cuius iuris commendatione facit insignis locus Crassi apud Ciceronem *lib. 1. de. Oratore: Percipietis etiam illam ex cognitione iuris latitiam & voluptatem, quod, quantum præstiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo & Dracone & Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne ius ciuile præter hoc nostrum inconditum ac pene ridiculum, de quo soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus & maxime Grecis antepono. Quem locum citat Iosephus Gibalinus in scientia Canonica & Hieropoliticalib. 4. c. 10. qv. 2. n. 1.*

## CAP. II.

De

## REMISSIONE IVRAMENTI

CALVMNIÆ LEGALI.

CONSPECTVS.

**C**onnexio n. 1. Quid remissio iuramenti n. 2. seqq. An  
I. Cal. consuetudine in totum remitti possit? n. 5. Rationes  
D negan-



*negantium n. 6. Rationes affirmantium n. 7. Quae sententia probatur n. 8. Non consultum est tollere I. Cal. n. 11. Laudantur iudicia, ubi id adhuc viget n. 12. 13. De ducatu Magdeburgico n. 14. seqq. Adducuntur rationes in contrarium n. 18. seqq. Refutantur n. 21. seqq. Remittunt leges hoc iuram. parentibus n. 28. Ratio dubitandi n. 29. 30. Respondetur n. 31. seqq. Non liberis n. 34. Remittitur Patronis. n. 35. Explicatur L. 34. ff. De Iurei. n. 37. seqq. Refutatur Gonzalez n. 40. seq. Dubium ex lectione Florentina remouetur n. 42. seqq. respondetur ad L. 14. ff. de iureiur. n. 46. seqq. Dubium a generalitate legis noue resoluitur n. 50. seqq. Limitatur nostra sententia n. 55. seqq. Reliquis agnatis non remittitur I. Cal. n. 58. Remittitur vero Domino Feudi n. 62. seqq. Et Vasallo n. 64. seqq. Principi n. 70. Limitatur n. 71. seqq. An si principali remittatur I. Cal. ad id praestandum teneatur procurator n. 73. seqq. De consiliariis Principum n. 76. seqq. De Fiscali n. 80. seqq. An clericis remittatur n. 86. seqq. non remittendum aduocatis n. 89. Non admittuntur ad I. C. furiosi, mente capti, infantes, n. 93. Quid de mutis & surdis n. 94. seqq. De prodigis n. 96. seqq. De minoribus n. 99. seqq.*

**C**onstabit pro instituti ratione  
 sufficienter ex praecedenti capite, quomodo iuramentum calumniae in abusum trahatur, ubi simul, quis legitimus eiusdem vsus sit, inculcatum est. Cum autem ille vsus legitimus circa duplex obiectum versetur, circa praestationem & remissionem, & quomodo praestandum, sit in praecedenti capite explicatum, nunc de ipsa iuramenti calumniae remissione, ex professo agere incipimus. Et in praesenti quidem capite



capite videbimus, quibus casibus lex ipsa hoc iuramentum remittat, ita vt litigantes ab eo ipso iure sint immunes.

Antequam tamen ad remissiones legales propius 2  
accedam, necesse est, vt, quid per remissionem iuramenti indigitatum velim, vno alteroue verbo præmittam. Vox autem *remissionis*, quatenus iuramenti applicatur, duplicem sensum habet; aut enim remittimus iuramenta præstita, aut præstanda, illud etiam *relaxationis* nomine venire solet, hoc tantum *remissio* dicitur. De remissione iuramentorum præditorum siue relaxatione, maxime iuramenti subiectionis, nuper, in 4  
dissertatione, sub præsidio Dn. Præsidis habita, de obsequii remissione, sufficienter actum est, nos hic voce remissionis vtimur, quatenus respicit iuramentum præstandum, cui itaque hoc I. cal. remissum est, ille ab eius præstatione liberatur. 5

Sed hic præiudicialis oritur quæstio, an iuramentum calumniæ plane remitti a lege aut consuetudine vel statuto possit? Non desunt, qui negatiuam tuentur, cum enim, inquiunt, iusiurandum hoc fauore publico, vt fraudes euitentur, & ne veritas occultetur, introductum sit, non posse consuetudinem, quæ illud remittit, & iuri publico derogat, non iniquam censeri, idemque de statuto dicendum esse. Anton. Perez *ad tit. C. de iureiur. propt. Calumn. n. ii.* Menoch. *de Arbitr. iud. Quæst. lib. 1. q. 20. n. 4.* Postius *de Manuten. obs. 81. n. 3.* 7  
His statim alii se opposuerunt existimantes, tolli omnino posse ac remitti in totum I. Cal. quia positiuo iure introductum, vnde manifestum, positiuo etiam iure tolli posse, cum lex posterior, imo & consuetudo legi

D 2

prio.



priori deroget, *L. 32. ff. de LL.* ac naturalia quidem iura immutabilia sint, ciuilia autem non æque §. 11. *instit. de I. N. G. & C.* Pro qua sententia conferantur *Gail. lib. 1. obs. 85. n. 4. seqq.* *Klock T. 3. cons. 186. n. 5.* *Vultei. de Iud. lib. 3. c. 2. n. 36.* *Rittersh. ad Nouell. P. 9. c. 19. n. 16.*

- 8 Nostram vt hic subiiciamus sententiam, distinguendas ab inuicem credimus duas diuersas quæstiones. 1. An stricto iure tolli possit, 2. An consultum sit
- 9 tolli Iur. C.? Prima quæstio omnino affirmanda est, ob rationes modo allatas, &, quod in Imperio quilibet statuum tales condere leges possit, quas is pro salute
- 10 suarum prouinciarum optimas iudicauerit. Nec exempla desunt, vbi plane remissum est iuramentum calumniæ generale. ita in Saxonia hoc iuramentum plane sublatum. *Ordin. Process. Iudic. tit. 33. Ordin. appellat. Christiani u. Elect. Sax. de Anno 1605. tit. von Eynd malitiæ in pr. Coler. part. 1. Decis. 117. Berlich. part. 1. conclus. 31. n. 4. Carpz. part. 1. Const. 12. def. 21. Io. Philippi ad Decis. Elect. 70. obs. 1. n. 12.* In Belgio etiam I. Cal. generale in plerisque locis maximam partem exoleuit, *Gudelin. de Iure nouissimo lib. 4. c. 8. in fin. Groneweg. de LL. abrogat. ad §. 1. inst. de pæn. tem. litig. Sande. lib. 1. tit. 9. def. 1. & seq. Christin. Vol. 2. Decis. 147.* Nec apud Gallos amplius in usu. *Perez. ad tit. C. de iureiur. propt. Calumn.*
- 11 Altera vero quæstio, an satis consultum sit tollere iuramentum calumniæ generale, nondum adeo expedita est: Potius ex iis quæ cap. i. adducta sunt, patescit,
- 12 optandum esse, vt hoc iuramentum in omnibus iudiciis ex assè obseruaretur. Quam obrem omnino laudandæ illæ prouinciæ, quæ id ipsum nondum abrogari
- 13 passæ. Harum vero non pauca sunt, nam in pleris.



risque Germaniæ locis retentum est hoc iuramentum, hinc & in Camera ipsa obseruatur. *conf. R. I. de Anno 1654. §. liber dieses. Ordin. Camer. part. 1. tit. 25. tit. 65. & tit. 74. Ordin. Indic. Pomeran. de Anno 1566. §. Biewohl der End vor gefährde. Ordin. Indic. sum. Tribunal. Wismar. part. 2. tit. 16. §. 1. Ordin. Cancell. Megapol. Güstrow. part. 2. tit. 16. §. 1. add. die Wölffenbüttelische Hoffgerichts-Ordnung tit. 38. & seq.* Sed & in Ducatu Magdeburgico idem I. Cal. generale obseruari debere, saluberrime constitutum erat in *Ord. Proces. Magdeburg. c. 7. §. 1.* Quod an bene satis in nouissimis additionibus sublatum sit, ego admodum incertus dubiusque hæreo, sed forte ideo factum, quia rarissime, si vnquam, hoc iuramentum obseruatum, vbi omnino melius est, tollere id ipsum, quam non obseruare.

Ceteroquin vero, si omnia legitime secundum modum in iure præscriptum, & a nobis in I. cap. inculcatum, obseruata fuerint, nihil iniquitatis, nullusque periurii metus supererit. Quæ enim rationes pro coloranda consuetudine Saxonica a Carpzouio præsentatæ, illæ omnino nihil solidi continent. Sed videamus singulas; & primo quidem dicit, ad euitanda periuria id necessum fuisse, ex qua ratione ipsum etiam Pontificem noluisse cogere clericos ad abiurandas concubinas, ne scil. periurii rei existant. *cap. 3. X. de cohabit. Clericor.* deinde, abstinere propterea viros bonos a foro eorumque locum subire improbos & malos. Actertio per iuramentum calumniæ speciale satis consultum videri litiganti, aduersus calumniam aduersarii. *Carpz. P. 1. C. 12. d. 21.*

Sed imbecillitatem harum rationum quis non  
D; ani- 21



animaduertit? Quantum enim ad *primam* attinet, satis in cap. I. exposuimus, vnde tororiantur periuria, sc. ex eo, quia iuramentum hocce ex asse non obseruatur, & calumniantes detecto periurio, non sufficienter puniuntur: abusus autem illi si tollantur, rarissima erunt periuria. Culpa itaque Iudicis iura non obseruantis, non est imputanda ipsi iuris constitutioni, ne leges ex ingenio corruptorum Iudicum iudicentur.

22 Quod autem de Pontifice subiicit Carpzouius, illud miror excidisse tanto viro, quod enim Pontifex male constituit, in nostras partes non trahendum, nam & conuiuendo alienis peccatis, nos participes illorum reddimus, pessime id autem a Pontifice constitutum

23 cuilibet patet: Et denique ab abiuranda concubina, ad abiurandam calumniam, vix est vt admitti possit argumentum. *Alteratio*, dubia est admodum, nam vir bonus non detrectabit iuramentum, si bona intentione litem suscipiat, nisi temerarium, tale vero non est quod LL. publicæ exigunt. Imo si valeret illud argumentum, omnia iuramenta e iudiciis eliminanda

25 forent. Nectertium fundamentum maioris ponderis est, nam non omnis calumnia iuramento malitiæ poterit excludi, cum sæpe adeo dubia & tecta esse possit, vt

26 non appareat, imo non omnis malitia iuramento malitiæ excluditur, sed id saltem efficitur, vt si tandem aliquando detecta hoc ipso fuerit alterius calumnia, ille postmodum cautius mercari, suamque calumniandi libidinem quodam iustitiæ colore tegere studeat; vt nihil tam absurdum, vel iniquum, quod careat alicuius Doctoris opinione aut defensione. Anton. de Gamma *Decis. 202. n. 3.* Quamuis enim assensus

Dd.



Dd. a calumnia ex parte excuset, interim tamen calumnia est, aliorum sententiis probare velle, cuius persuasus quis est contrarium, vt sic etiam iuramentum malitiæ hoc casu non exigatur, quia nec in foro Saxonico illud aliter exigitur, quam si præsumptio malitiæ contra aliquem militet. Struu. *S. I. C. Exerc. 17. ib. 76.*

Hæc de generali iuramenti calumniæ remissio-  
ne sufficiant, nunc videndum, quibus in specie hoc  
iuramentum a lege remittatur, quos inter primo loco  
nominandi sunt parentes, *L. 7. §. 3. ff. de obseq. parent.  
præst. L. 8. §. 5. ff. qui satisd. cog. L. 13. §. 14. ff. de dam. infect.*  
*Io. Borchold. de iureiurando. c. 7. n. 23. & seqq. Vincent.  
Carocius de iuramento litis decisorio. q. 13. n. 12. Jac. Cu-  
iacius lib. 9. obs. 37. Quam sententiam etiam praxis ap-  
probauit. Sed hic non leue dubium oriri possit, 29*  
quod a nullo Doctorum, quantum mihi quidem reperi-  
re licuit, hactenus tactum est: sc. textus antea cita-  
tos & alios qui hanc in rem afferri solent, tantum de  
iuramento calumniæ speciali seu malitiæ agere, id  
quod ocularis inspectio abunde docet: De iuramento  
autem calumniæ generali non reperitur textus, qui  
expresse asserat, vel parentibus vel aliis quibusdam  
personis illud remittendum esse, potius textus in co-  
dice & Novellis generalem huius iuramenti obser-  
uationem inculcant, vt ita nec nostrum esse videatur,  
exceptiones legis præter voluntatem legislatoris for-  
mare. Accedit, quod & diuersa sint hæc iuramenta, 30  
generale sc. & speciale, ac proinde argumentum non  
duci possit ab vno ad aliud. Sed quicquid huius rei 31  
fit, si non verbis legis, tamen menti eiusdem hanc ex-  
ten-



- 28 tenfionem conuenire exiftimamus, fi enim ad rationem respiciamus, quare parentibus aliisque quibusdam perfonis speciale fit remittendum, videmus illam  
 32 etiam ad generale applicari poffe: Redditur vero iftaratio *l. 7. §. 4. & 5. ff. de obfeq. parent. & patr. præf.* quod illis perfonis fingularis honor debeatur, ac  
 33 propterea de eorum calumnia queri non liceat. Ex hac autem ratione fua fponfe fluit, idem obseruandum esse in *I. Cal. generali*, cum & ibi præfumptio fit,  
 34 parentes non calumniæ caufa moturos lites. Quod fi tamen liberi contra parentes proceffum inftituerent, hos ab eo non liberari manifeftum est, cum & hoc ipfo dum litem contra parentes fufcipiunt, non leuem calumniæ fufpicionem in fe concitent. Imo potius iniuriam ferre, quam litigare cum parentibus debebant, vid. *Treutler. vol. 1. Difp. 21. tb. 4. lit. C. Vmmius Difp. 12. ad ad Proceff. tb. 8. n. 35. Borchold de iureiurando c. 7. n. 27.*  
 35 Parentibus leges iungunt Patronos, quod & hi libertis fint parentum loco, quippe quibus ciuilem vitam, vt parentes liberis naturalem dederunt. *L. 16. in fin. ff. de iureiur.* Sed his non minus quam illis, quæ in præcedentibus adducta vehementer aduerfatur *Vlpianus*, quando in *L. 34. §. 4. ff. de iureiur. Iuramentum calumnie neque patrono neque parentibus remitti*, expreffis verbis aferit. Idem vero *Vlpianus* in *L. 16. eod. plane contrarium* ftatuit. Contradixiffe autem eum fibi & quidem tam manifefto, non est facile præfumentum, maxime cum vtraque lex ex eodem tractatu fit defumpta, & quidem *L. 16. ex lib. 10. ad Edict. L. 34. autem ex lib. 26. ad Edict.* Oportet igitur ut inquiremus, quæ



quænam vera eius sit sententia, in qua autem error sit commissus.

Et quidem erroneam esse legis 34. lectionem, 37  
 communis Dd. sententia est, ita, vt loco verborum *neque Patrono neque Parentibus remittitur*, legendum sit *neque Patrono ac Parentibus remittitur*, & eadem est lectio editionis Noricæ Haloandri, cui & consentiunt libri βασιλικών. tom. 3. lib. 22. tit. 5. l. 34. Ο ἐπάγωγος πρῶτος ὁ μυστι 38  
 τὸν περὶ σοκοφαντίας, ἐὰν ἀπαιτηθῆ, ὃν οὐκ ὁ μυστι πατὴρ, ἢ πατέρων. Imo in manuscripto codice digestorum se ita 39  
 legiisse, testatur Iulius Pacius citante Struuius S. I. C. *Exercit. 17. tb. 73.* Et in duobus etiam manuscriptis libris se eandem lectionem inuenisse, asserit Georg. Obrecht. *tract. de iurament. Calumn. c. 5. n. 20.* conf. Brunne-  
*man in Proc. civ. c. 15. n. 13.* Vincent. Caroc. *de iuram. lit. decis. 40*  
*q. 13. n. 12.* Cuiacius *lib. 9. obs. 37.* Berlich. *part. 1. concl. 31. n. 9.* & alii ab his citati. Mediam tamen sententiam  
 fouere videtur Emanuel Gonzalez Tellez *in comment. ad cap. f. X. de iuram. Calumn. n. 6. in fin.* vbi in genere quidem Parentes & Patronos a I. Cal. liberari asserit, sed tamen specialiter tum id ab iis præstandum esse, si filio vel liberto iuramentum in iudicio deferre velint, & hinc de hoc speciali casu *d. l. 34.* accipiendam esse. Sed 41  
 vero si rationem in consilium adhibeamus, non apparet, quare, cum alias pro iis sit præsumptio, quod nihil calumniosè in iudicio sint acturi, in hoc præcisè casu contraria præsumptione sint grauandi, itaque eadem ibi ratio est, & sic eadem quoque obtinebit de-  
 cisis

Sed hic non leuem dubitationem gignere vide- 42  
 tur, quod in manuscripto Florentino pariter lectio ne-

E

gatiua



- gatiua deprehendatur, ex eo autem pleraque exemplaria descripta esse, testis est Anton. Augustin. *L. 7. emendat. c. 1. Vt ita ex hoc solo contrarium sufficienter probatum esse videatur.* Interim tamen nec Florentinam editionem plane omnis erroris expertem esse, sciendum est, sed dubiam interdum fidem habet,
- 44 quod & obseruauit Angelus Politianus *Miscell. 41.* Imo & in praxi præferendam potius esse lectionem Accursij, probauit Dn. Præses. *Disp. 1. Controu. ad ff. 1b. 1.* in praxi autem contrarium receptum esse, & parentes ac patronos a I. Cal. excusari, satis manifestum est. Conuenit igitur potius vnã legem corrigere, vt cum pluribus conueniat, quam vt plures vnã sequi debeant. Ita autem in *L. 8. §. 5. ff. qui satisd. cogant. L. 7. §. 3. §. 4. ff. de obseq. Parent. L. 13. §. 4. ff. de damn. infect.* idem quod modo statuimus claris verbis asseritur.
- 46 Vnicus superest textus, qui sententiæ nostræ aduersari videtur, sc. in *L. 14. ff. de iureiur.* vbi Paulus, *quoties, inquit, propter rem iuratur, nec parenti nec patrono remittitur iusiurandum,* sed diuersum esse iuramentum,
- 47 quod propter rem præstatur a I. Cal. quis non videt? Illud enim, dum exigorei decisionem alterius arbitrio committo, nec simul ipsi vllam calumniam impitro, ac proinde eo ipso, honor parentum nulla ratione læditur, quæ tamen omnia aliter se habent in I. Cal. quod non defertur absque fraudis suspicione, & sic omnino a parentibus exigi nequit. vid. Obrecht. *d. c. 5. n. 23.* Inde etiam Fornerius *lib. 2. Select. c. 4.* & post eum Donellus *l. 24. Comment. c. 21.* existimant, citatam *L. 34. §. 4. de iureiur.* de hoc casu loqui, si scilicet propter rem iurandum sit, vt adeo ad violentam correctionem illam textus,

tus,



tus, non fit conuolandum. Quæ quidem sententia, pro conciliatione, facile a nobis etiam admitti posset, nisi verba legis aliud vellent, utpote quæ expresse de I. Cal., quamuis speciali, loquuntur, illius autem iuramenti, quod ratione ipsius rei præstatur, nulla omnino fit mentio.

Illud autem omnium maxime obstare videtur, 50 quod, per nouam Iustiniani constitutionem, hoc parentum patronorumque priuilegium, quia ex iure veteri competeat, fuerit sublatum, cum nouo iure in omnibus causis exigatur hoc iuramentum. Quæ ratio 51 movit Franciscum Curtium ad L. 2. Cod. de iureiur. propt. Calumn. n. 16. ut in contrarias partes iuerit. Sed 52 primo generale Dd. effatum est, legem generalem, posteriorem non corrigere priorem specialem, per tradita ab ipso Curtio n. 15. & hinc est, quod dicitur legem nouam etiam ex antiqua, interpretationem ac distinctionem recipere. L. 26. § 28. ff. de LL. Octau. Cacheran. Decis. Piedmont. 167. n. 17. seqq. Bertaz. 53 Zol. lib. 1. conf. 93. n. 7. quam difficultatem non tollit Curtius, dum n. 17. hanc Dd. sententiam hic locum non habere putat, quod appareret iura noua hic velle tollere etiam speciales veteris iuris dispositiones; Hoc enim mihi ex verbis nouæ legis non apparet. De 54 inde ad rationem etiam legis nouæ respiciendum, hæc vero est, ut tollatur e iudiciis calumnia, quæ si in quibusdam personis adesse in iure non præsumatur, quid opus iuramento? Ista tamen sententia quod parentes de calumnia iurare non teneantur, non nimis criminis crude, nec absque omni exceptione capienda est. Nam præsumptio iuris est, quod parentes



- non calumniose acturi sint cum liberis, quæ præsumptio tamdiu suo effectu gaudet, donec de contrario non confiterit, tunc enim præsumptio veritati cedit Roland. a Valle. *lib. 1. conf. 99. n. 11. Paris. lib. 2. conf. 29. n. 44. Card.*
- 56 Tusch. *Pract. concl. tom. 6. lit. P. concl. 612.* Quod si itaque appareat, malitiose tantum a patre diuexari processu filium, non dubito ab eo hoc casu exigendum esse I. Cal. consentiente Antonio del Re *c. 18. n. fin. Sunt enim*, inquit, *aliqui Patres ita crudes contra filios, ut non recordentur, dictos filios esse carnes de carnibus & ossa de ossibus eorum, & eos domo eiciant, denegatis alimentis & variis modis & litibus eos opprimant.* addatur Meuius *p. 3. Dec. 298.*
- 57 vbi similia habet. In eo tamen labitur Anton. del Re, quando subiungit: *& e conuerso aliqui filii immemores præcepti diuini, quo obstringuntur habere in honore parentes, sunt ita iniqui, ut querant ansam quamcunque vexandi litibus Patres, vt ut enim hæc omnino ita se habeant, interrim tamen, non modo tum vbi de filiorum calumnia manifesto constat, sed & vbi tecta illa est ac plane non conspicua, eos tamen ad iurandum de calumnia teneri ob manifestam diuersitatem patet. Hinc non debet eadem hic haberi filiorum & parentum ratio.*
- 58 Quæ modo de parentibus ac patronis a nobis affirmata sunt, quod ob singularem honorem, qui iis debetur, a præstatione I. Cal. sint immunes, id queritur, an non in reliquis etiam personis, quibus singularis reuerentia debetur, obtineat? Puto quod non, quod enim in fauorem quorundam specialiter introductum, illud non debet trahi ad consequentias, cum de persona in personam non debeat fieri extensio. Cephal. *cons. 2. n. 22.* sed hic tacet lex de reliquis cognatis & a-



gnatis, in quo autem non reperitur exceptio, in illis  
 standum est dispositioni legis generali, quæ vult vt om-  
 nnes præstent I. Cal. Accedit fauor dirimendarum liti- 60  
 um & expellendæ calumniæ, vt ita exorbitans efflet per-  
 sonas quasdam præter necessitatem eximere, in ex-  
 orbitantibus vero Dd. extensionem non admittunt,  
*C. 28. de Regul. Iur. in 610. Rauchb. part. 1. quest. 35.* Nec 61  
 obstat, quod & proximis agnatis, maxime illis quibus  
 parentelæ respectus debetur, singularis quidam. ho-  
 nor tribuendus sit, sit enim ita, tantus tamen non de-  
 betur quam parentibus & patronis, hunc enim præ-  
 cipit ratio, illum suadet.

Eo tamen argumentum a patrono de sumptum 62  
 applicant Dd. vt nec, si Dominus contra Vasallum a-  
 gat, is I. Cal. præstare teneatur, Euerhard. *in top. leg. loco a*  
*liberto ad Vasallum.* Rosenthal *de feud. c. 12. Concl. 43.* Rit-  
 tershus. *2. feud. 1. q. 12. § 13.* Setferus *de iuramentis lib. 3.*  
*c. 4. n. 42.* idque recte fieri omnino existimandum 63  
 est, quamuis enim alias non sit perpetuum argumen-  
 tum a liberto ad vasallum, interim tamen hic expres-  
 sus textus est *in 2. feud. 33. §. 1.* vbi illud insuper notan- 64  
 dum, quod nec Dominus feudi prætereundere possit, vt  
 Vasallus contra eum acturus hoc iuramentum præstet,  
 quia, vt Feudista loquitur, *quod quisque iuris in aliis sta-*  
*tuit, ipse eodem iure utatur,* Græu. *concl. pract. 84.*  
*n. 12.* Speckhan. *cent. 2. class. 4. q. 26. n. 2.* Nec est, vt cum 65  
 Hartm. Hartm. *in pract. Obseruat. tit. de feud. obs. 45.* &  
 Barchold. *c. 10. n. 14.* aliisque hoc cessare dicamus, in tali  
 vasallo, qui iuramentum fidelitatis non præstitit,  
 hanc enim restrictionem non admittit generalitas tex- 66  
 tus, nec iuramentum fidelitatis præcise est de essentia



feudi, Setser. *d. n. 42. conf. Vultei. de feud. lib. 2. c. 3. n. 6.*  
Anton. *Disp. feud. 15. tb. 4. lit. 8.*

- 67 Quod tamen inter Dominum & Vafallum specialiter constitutum, non debet extendi ad causam quæ inter Vafallos agitur, hi enim, quod plane a l. Cal. immunes esse debeant, nec vlla ratio suadet, nec
- 68 ipsa lex admittit. Et de hoc casu loquitur Gail. *lib. 2. obs. 156. n. 1.* vt ita immerito eum reprehendat Bernhard. Græu. *in Gail. obseruat. consid. 1.* Multo magis eorum sententia reiicienda, qui expresse negant, inter Vafallos admitti iuramentum calumniæ Francisc. Iacob. de Monte Regali *tract. feud. c. 3. concl. 8. n. 67. & seqq.* & post eum Vinnius *Disp. 10. ad process. n. 37.* cum nulla solida ratione hanc sententiam defendi posse existimem.
- 70 Quæ cum ita ob singularem reuerentiam in Parentibus Patronis & Dominis feudi constituta sint, multo magis idem dicendum erit, de Patria Patre Principe, nam huic maximus debetur honor maximaque reuerentia, ac proinde l. Cal. ab eo exigere, non posset non iniquum existimari, vti sentiunt Mynsing. *cent. 1. obseru. 74. in fin. Setser. lib. 3. c. 3. n. 109. & 110. Schrader. de feud. p. 10. sect. 3. n. 77. & sect. 20. n. 285. Natta Vol. 3. Consil. 487. n. 47. Barbatia. lib. 3. Consil. 1. n. 82.* Anton del Re *de l. C. c. 18. n. 2. & seqq.* Sed an id perpetuo obseruandum sit, an vero quibusdam casibus cesset, quæri posset? Francisc. Niger Cyriacus. *controuers. forens. lib. 1. controu. 13. n. 22. & seqq.* in ea opinione est, teneri Principem omnino præstare l. Cal. si non cum proprio subdito, sed cum extraneo agat, idque prolixè ibidem
- 72 multis rationibus defendit. Quæ sententia non impro-



probabilis videtur, & inde ad minimum hoc elucescet, quod procurator Principis hoc casu ad præstandum hoc iuramentum adigi possit, necesse est, vt rege-  
 ras, non teneri Principem LL. ciuilibus, & ita si ipse non obligatur, nec eius procuratorem teneri. Nam facilis est responsio, non teneri Principem, nisi se ipsum submittat, posse autem maiorem iurisdictioni minoris se submittere quoad certam causam, patet ex *L. 14. ff. de iurisdic.* Hoc vero facere censetur Princeps eo ipso, dum actoris vices in alio iudicio subit. Imo ad hunc casum, quando sc. status inter se litigant, pertinet quod in Recessu Imp. de anno 1654. §. 117. generaliter asseritur, præstandum esse a litigantibus iuramentum Appellationis, quod pariter est species quædam I. Cal. ibi: Auch zum sechsten in Fällen/ da die Priuilegia des I. Cal. erfordern/ soll selbtiges allezeit vor dem Unter- Gerichte/ von Appellanten in der Person/ oder weñ Grafen und Frey- Herren interessiret, durch procuratores, denen der Eyd vorhero wohl zuschärffen/ sub præiudicio causæ, würcklich abgeleget ic. Vbi dum Comites tantum & Barones a personali præstatione illius eximuntur, nihilominus ad ipsum iuramentum per procuratorem præstandum compelluntur. Nec obstat quod Principum hic non facta mentio, nam resp. id ideo factum, quia de illis minus dubii subesse creditum est, vtpote cum maior ipsorum sit dignitas quam Comitum & Baronum. Vt inde omnino reprehensionem mereatur Blum. in *Pr. iur. 48. n. 45.* asserens, solos Comites & Barones non vero Principes citato loco excipi. Quasi vero Principum deterior esset conditio quam Comitum & Baronum.

Sed



- 73 Sed videndum etiam hac occasione, quid sentiendum de illa regula, quod eo casu quo Principalis non tenetur ad iurandum de calumnia, nec teneatur procurator, quam tenet Baldus *in L. qui bona fide* 13. §. 13. ff. de damn. infect. n. 2. Francisc. Niger Cyriac. d. con-
- 74 *trou. 13. n. 18.* aliique, qui hos sequuntur; Scilicet non est hoc pro generali axiomate assumendum, nam non idem fauor qui pro principali militat, statim etiam in procuratore est, imo interdum casus esse posset, vbi principalis quidem persuasus est, se iustam litigandi causam habere, sed non etiam procurator; Inde rectissime illam Baldi sententiam limitat Anton del Re c. 16. n. 84. quod excusetur quidem procurator, ne præstet. I. Cal. in animam sui principalis, sed non liberetur a iuramento in propriam animam. Exceptio tamen est in
- 67 Consiliariis Principum, hi enim si causam aliquam nomine Principis peragere debeant, a I. Cal. præstatione sunt immunes, per R. I. de Anno 1654. §. 43. ibi: über dieses verordneten wir und wollen / daß eine iede Parthey wie auch deren Procuratores und Aduocaten / davon iedoch der Chur Fürsten und Stände verpflichtete würckliche Rätthe / so viel ihrer Herren Rechtsfertigungs Sachen betrifft / zu excipiren - - - das Iuramentum calumniæ dahin zu erstatten
- 77 schuldig seyn &c. Ex quo duo simul notanda sunt, alterum, quod in specie hic saltem excipiantur Consilarii Principum actu tales, alterum, quod hoc priuilegium tantum habeant in causis Principum. Vbi ex primo
- 78 colligo, quod si cuidam, qui actu Consiliarius non est, causa Principis peragenda committatur, is omnino iuramentum calumniæ præstare debeat. Ex secundo notabili concludo, quod hoc priuilegio non gaudeant in cau-



causis priuatis. vid. Mev. *part. 5. Decif. 237.* Sed id etiam ex generali ista recessus Imperii constitutione patere existimo, non modo illud verum esse, si in priuatis contendendum in iudicio habeat Princeps, & qui eius nomine experitur consiliarius, sed & si inter duos Principes res sit. Imo quod idem priuilegium reliquorum etiam Statuum Imp. consiliiarii habeant, ex generalitate textus constat.

Quid de Fiscis Procuratoribus dicendum, capite 80 primo, ni fallor sufficienter, dictum est. Non enim negamus, in praxi ab iis haud exigi iuramentum calumniae, conf. Andreas de Isernia (quem Dan. Mollerus *l. 3. semestr. c. 34. in fin.* Feudistarum Euangelistam vocat) in *cap. 1. §. in quibusdam de consuet. re & feud. n. 9. & 10.* Hilliger ad *Donell. lib. 24. c. 3. lit. L. & alii ab hoc citati*, sed 81 an id bene satis fiat, aut an non consultius sit, etiam eos ad id astringi, dubitamus. Si vero praxis 82 accipiat secundum sensum *n. 75. prec.* vt tantum excusetur Fiscalis a iurando in animam Principis, non vero a iurando in propriam, res salua est, & nulla iniquitate laborat. vid. *Surdus Decif. 18.* Sed diceres, an non officii necessitas excusat Fisci Aduocatum? Ita communiter volunt. conf. *Mev. part. 6. Decif. 138.* *Camill. Borell. summ. Decif. T. 1. tit. 51. n. 37. seq.* *Gratian Discept. forens. c. 56. n. 21.* *Gail. lib. 1. obseru. 88.* Sed & 84 hæc res nondum est liquida, nam facile posset sub tegmine necessitatis officii latitare maxima calumnia. Imo & Tutores licet ex necessitate officii Processus 85 instituant, ab hoc iuramento tamen non excusantur. *L. 2. & Authent. Principales. C. de iureiur. propt. Calumn.* *Petr. Vanderan. in pract. Iudic. lib. 3. c. 2. Ant. del Re c. 15. n. 282. seqq.*

F

Vidi-



- 38  
86 Vidimus personas seculares, quibus a Iure remittitur I. Cal. nunc videamus etiam, an non Ecclesiasticis personis illud sit remissum? Olim Clericos ab eo liberatos fuisse, minus dubii est; quod turpe videretur hos in falsitatis aut calumniæ suspicionem vocare, cum, ob religionis & pietatis professionem, ab utroque longissime abesse putarentur, Harprecht. *ad §. 1. Inst. de*
- 87 *pœn. tem. litig. n. 60.* Anton. Pichard. *ibid. n. 22.* Vnde, & Flaminem Dialem, & sacerdotem Vestalem nulla ratione cogipotuisse ad iurandum, ex Aulo Gellio *Noct. Attic. lib. 10. c. 15.* aliisque refert Cuiacius *ad tit. Decret. de iuram. calumn. cap. 1.* Hodie vero Clericos etiam ad præstandum hoc iuramentum teneri, manifestum est *ex cap. 5. X. de iuram. Calumn.* vbi simul contraria consuetudo reiicitur, Hilliger *in Donell. lib. 24. c. 3. lit. L.* Si enim bonam causam fouent, citra vllum incommodum sacramentum hoc subire possunt: si sciunt, se contra conscientiam, aliis iniquum iudicium obtrudere, iure malitiis obuiam itur. Harprecht. *dl. Obrecht. de I. C. cap. 8. n. 14. seqq.* conf. Brunneinan. *de. Iure Ecclesiast. lib. 3. c. 5. §. 14.*
- 89 Aduocatis etiam remittendum esse hoc iuramentum calumniæ, cum nuspian in iure id ab iis exigatur, sed potius tacite remittatur, putat Georg. Obrecht. *de I. C. c. 6. n. 37. seqq.* Nam *L. 2. pr. C. de iurciur. propt. calumn.* non loqui de iuramento calumniæ, cum verba, *utriusque partis viros disertissimos Aduocatos iuramentum præstare debere.* se manifesto referant ad præcedentem constitutionem, quia ibi adiicitur, *secundum quod iam dispositum est a nobis*; eam autem constitutionem extare in *L. 14. C. de Iud.* vbi de alio quam calumniæ iuramen-





to agit imperator, sc. quod Aduocati omni ope verum & iustum procurare, & vbi cognouerint causæ iniustitiam, eam statim deferere velint: Et hinc iam Bartolotati ætate Aduocatos de calumnia non iurasse. Verum 90 non meretur approbationem hæc sententia, nam primo, conuenit omnino iuramentum, de quo in *d. L. 14.* agitur, cum iuramento calumniæ, si ipsa materialia respiciamus; deinde, expressa satis sunt verba Iustiniani 91 in *d. L. 2. §. 4. C. de iureiur. propt. Calumn.* vbi in fine dicitur, *omnimodo hoc* (iuramentum scilicet calumniæ, de eo enim ibi agit Imperator) *& ab Actore & a fugiente exigi, ne paulatim videatur huiusmodi res defraudari, & sacramentum vel principalium personarum vel Aduocatorum ex quacunque parte mutilari.* Vbi dum de vno iuramento loquitur, quod a Principalibus & Aduocatis præstandum, incongruum erit, contra expressam sanctionem Aduocatos eximere, cui loco si iungatur *§. præc. 3. d. L. 2.* omne dubium euanescet. Nec praxis temporis Bartoli desumpta dabit nobis præiudicium, cum illa sit legi contraria, & Romæ etiam non quid fiat, sed quid fieri debeat, considerandum.

Sunt adhuc quædam personæ, quibus remittitur 93 non modo iuramentum calumniæ sed, & qui volentes, ne quidem admittuntur ad iurandum, veluti pupilli, infantes, furiosi, mente capti, & omnes illi, qui ob iudicii imbecillitatem & defectum iurare nequeunt, nam cui iuramentum in genere præstare est prohibitum, ille ad iuramentum calumniæ etiam non potest admitti, quod enim de toto dicitur, de parte etiam intelligendum *L. quæ de tota 76. ff. de rei vindicat.* An autem muti 94 ac furdi eo referendi sint dubitari posset? Communi-



ter quidem, sed non satis caute hæc quæstio affirmari solet, quæ tamen mihi nec affirmanda simpliciter, nec neganda videtur; Quod si enim discretum sit eorum infortunium, vel ex accidenti tales facti & mentis suæ signa sufficienter, scriptis v. gr. edere possint, non dubito eos etiam ad præstandum hoc iuramentum esse adigendos, Ruland *de commiss.* P. 2. l. 2. c. 16. Vincent. Caroc. *tr. de iuram. lit. Decis. qu. 11. qu. 13. principalis n. 1.* Dn. Feltmann. *de iureiur. in alter. anim. c. 1. n. 47.* Hilliger. *in Donnellum l. 24. c. 13. lit. B. in fin.* cum & in scriptis iurari possit, & verba non sint præcise necessitatis in iuramentis. Setserus *de Iuramentis l. 1. c. 9. n. 2.* Fachin. *l. 3. contr. 8.* Alciat. *in rubr. de iureiur. n. 23.* Aliud autem dicendum si mutus & surdus natura talis sit, & qui nec exprimere satis mentem potest, nec vim iuramenti intelligit; de his concedo ad iuramentum Cal. non magis quam ad aliud eos esse admittendos.

96 Prodigos etiam, quibus bonis interdictum, non admittendos esse ad I. Cal. plures, si non omnes, asserunt, Obrecht. *de l. C. c. 5. n. 12.* pro quorum sententia facit partim, quod non tuto satis illi admittantur ad iurandum, qui corruptis moribus hætenus nimium quantum indulserunt, dum non satis perpendere videntur vim iurisiurandi, Guido Papæ *sing. 9. 1. §. 2.* partim, quod & prodigi generaliter nullo iuramento præfinito obligentur, Fachineus *lib. 2. controu. c. 64.* Anton. de Padilla *ad L. 2. Cod. de rescindend. vendit. n. 36.* Couarruu. *ad cap. Quamuis de pactis in 6to. part. 2. §. 3. n. 8.* Anton. Gomez. *de Contract. Cap. 97 l. 4. n. 22.* Sed quicquid tamen eius rei sit, existimo prodigos omnino teneri I. Cal. præstare, cum nusquam in legibus reperiantur excepti, quod autem mutatum non est



est, quare stare prohibeatur? *L. sancimus 22. C. de testam.*  
 Rationes in contrarium allatæ nullius momenti sunt,  
 summa enim prodigalitas, non statim certam futuri  
 periurii præsumptionem facit: Nec etiam tam super-  
 ficiarie iurandum est de calumnia, sed prævia suffici-  
 enti admonitione, qua de re in *Cap. 1.* proluxius disserui-  
 mus. Et si tandem nihilominus metueretur periuri-  
 um, tum quidem & ego existimarem, si certa sit præ-  
 sumptio, eum ad I. Cal. non esse admittendum, sed ab  
 vno istiusmodi deperdito homine, non statim forman-  
 da regula, quod nullus prodigus admittendus sit ad iu-  
 ramentum. Nec alterum contrariæ sententiæ mo- 98  
 mentum attendi meretur, quamvis enim non obligari  
 possit prodigus iuramento, inde tamen non sequitur,  
 ergo & I. Cal. præstare non tenetur. Certe supra cit.  
 Dd. non dicunt prodigum iurare non posse, sed id sal-  
 tem asserunt, non posse prodigum ex iurata promissio-  
 ne ratione bonorum obligari, sed ex I. Cal. nulla obli-  
 gatio, nam hoc ipso contestatur saltem, se non aliud cre-  
 dere quam iustam esse illam causam, quæ nunc nomine  
 ipsius in Iudicio peragenda.

Multo magis reprobanda erit illorum senten- 99  
 tia, qui putant nec minorem 25. annis ad I. Cal. præ-  
 standum admitti debere Obrecht. *d. loc. n. 12.* vbi ratio-  
 nem addit, quia per se non possunt litem instituere,  
 nec actus iudiciales exercere. Sed quam imbecillis 100  
 ratio! ex illa enim statim etiam consequitur, nec scemi-  
 nas, iis in locis vbi non nisi per Curatorem compare-  
 re in iudicio possunt, ad præstandum hoc iuramentum  
 teneri, quod tamen non facile quispiam asserere  
 auderet. Accedit, quod minores alias ad iuramenta



præstanda habiles sint, *Auth. Sacramenta puerum C. si aduers. vendit.* in tantum, vt etiam iuramentum dicatur facere ex minore maiorem, *Barbosa thesaur. loc. comm. Edit. Nou. lib. 2. C. 41. axiom. 9.* Cur itaque ab hoc iuramento in specie arcendus sit minor, non apparet. Modo illius rei, quæ iam in controuersiam deducitur, aliquam habere possit notitiam.

## CAP. III.

De

## REMISSIONE IVRAMENTI

CALVMNIÆ QUÆ FIT A IUDICE.

CONSPECTVS.

**C**onnexio n. 1. An iudex remittere possit I. Cal. etiamsi a partibus petitur? n. 2. Negatur communiter. n. 3. Adducuntur rationes. n. 4. seqq. Cautela praua adducitur. n. 9. Reiicitur. n. 10. Defenditur affirmatiua sententia. n. 11. probatur ex l. 5. §. 14. ff. De Nou. Op. N. n. 14. seqq. Explicatur L. 2. §. 4. C. b. t. n. 20. seqq. Vbi LL. dubia recurrendum ad equitatem. n. 26. seqq. Adferuntur rationes ex equitate pro affirmatiua. n. 28. seqq. Iudex I. Cal. ex officio exigere potest ergo & remittere n. 38. Adducitur casus qui in facto contingit n. 37. Applicatur n. 38. seqq. Similem casum Baldus habuit n. 40. seqq. Indicatum iam etiam est in Camera Imperiali n. 42. Loca Ordin. summi tribun. Vismar. & Indicata adducuntur. n. 43. seqq. Similis locus Ordin. Iudic. Pomer. n. 46. Remouentur contraria argumenta n. 47. seqq. Nou. 136. c. 6. explicatur n. 52. seqq. Vltimum dubium tollitur n. 54. seqq. Decretum Regis Polon. n. 58. An ob non factam remissionem a Iudice,



IVRAMENTI CALVMNIE QVÆ FIT A IVDICE. 43

dice, pars appellare possit? n. 59. seqq. Ex quibus causis remissio fieri possit? n. 62. Locus ex ord. sum. trib. Vism. citatur n. 63. Regula generalis n. 64. Remittitur I. Cal. si actor plene probauerit n. 65. Si agat ex instrumentis quarentig. n. 69. Non si ex iure cesso n. 70. Quid si ex cambio? n. 71. Ad reliquas causas summarias applicatur. n. 72. seqq. Quid si mercatur ex suo libro agat? n. 74. seqq. Quid si liber iusto ordine non conscriptus? n. 80. 81. applicatur ad libros Genethliacos, Parochiales & c. n. 82. An in causa notoria remittendum? 83. seqq. An in defensione honoris? 86. Remittendum est I. Cal. si degeneret in iuramentum veritatis n. 88. Quid in spiritualibus? n. 90. seqq. Quid in criminalibus? n. 92. seqq. Quid in causa appellationis? n. 96. seqq. Quid si super questione iuris dispute-tur? n. 100. seqq. Respondetur ad questionem n. 101. seqq. Limitatur n. 104. Extra illas causas iudex non debet remittere I. Cal. n. 105. An dicta etiam ad iuramentum malitiæ applicari possint? n. 107. seqq. Affirmatur n. 109. Limitatur n. 110. seqq. An Iudici iuramentum, ab initio officii præstandum, remitti possit? n. 115. seq. Conclusio capituli cum monito n. 117.

**H**Actenus occupati fuimus, vt<sup>1</sup> doceremus strictissime esse in iudiciis nostris obseruandum iuramentum calumniæ, tanquam optimum remedium expiscandi maleuolorum proteruiam ac malitiam, nec id remittendum esse, nisi illis quos lex ipsa ab hoc iuramento liberat. Nunc videndum est, an non iudex etiam potestatem habeat remittendi hoc iuramentum quibusdam personis, etiam si de iis in specie legis nihil disponant? Id quod præsentî capite peragemus.

Communis autem sententia est, non posse Iudicem<sup>3</sup>



cem iuramentum calumniæ remittere, maxime si partes id petierint, sed sententiam postea latam ipso iure esse nullam Rolandus a Valle *l. 1. Conf. 11. n. 7.* Glossa ad *Cap. 1. de I. Cal. in 6. in verbo annullandus prope finem.* Bartol. ad *L. 2. §. sed quia C. de I. I. propter Cal. n. 3.* Gail. *l. 1. obs. 84. n. 1.* Hilliger ad *Donell. l. 23. c. 3. lit. P.* Barbofa *Vol. III. Cons. 49. n. 1.* Mantua *consil. 143. n. 63.* Speculat. *tit. de Iuram. Cal. §. 1. n. 1. in fin.* Guid. Papæ *cons. 2. cons. 84. & sing. 731. n. 2.* Marescott. *Var. resol. Iur. l. 1. c. 147. n. 6.* Vant. *de Nullitate ex def. proc. n. 29.* Caroc. *de iuram. lit. decisor. qu. 13. princ. n. 6.* Rauchb. *P. 1. qu. 11. n. 4.* Speckhan. *cent. 2. d. 4. qu. 19. n. 2.* Sigism. Suaccia *de Iudic. 2. n. 86. seqq.* Viuius *l. 1. opinion. 258. n. 5.* Anton. del Re *de Iuram. cal. c. 14. n. 5. cap. 10. n. 22. c. 15. in fin. cap. 16. n. 83. seqq. cap. 21. n. 1. & c. 7. n. 13. & 14. vbi plures citat.*

Quorum sententia. vti applausum plerorumque  
 4 meruit, ita non desunt rationes, quæ illam confirmare videntur. Nam pro fundamento illud supponitur, esse iuramentum calumniæ pro substantiali Iudicii parte reputandum, pro vt omnino ex *L. 2. C. de iur. reiur. propt. calumn.* luculenter videre est, vbi Imperator Iustinianus expressè vult, in omnibus libris præstandum esse iuramentum hoc, vt ita omnino de substantia processus sit. Si hoc, sua sponte fluit, quod  
 5 omnia quæ aguntur, omisso hoc substantiali, nulla sint;  
 6 Postquam enim lex semel hanc formam processus constituit, illa negligi absque vitio nullitatis non potest Franc. Soar. *de LL. l. 5. c. 31. n. 2.* Valenzuel. *Conf. 112. n. 58.* Roland. a Valle *l. 3. conf. 30. n. 2.* quemadmodum alias formam negotii nec per æquipollens implere sufficit, *Surdus Conf. 318. n. 10.* Bernhard Græu. ad  
 Pract.



*Pract. Cancell. imp. l. 1. concl. 2. consid. 1. n. 2.* Cui accedit 7  
 quod omnino remitti hoc iuramentum non debeat,  
 fāciente Iustiniano in *d.L. 2. §. 4. C. de Iureiur. propt. Cal.*  
 addita simul ratione, quia pro communi vtilitate lex il- 8  
 la lata esset, quæ I. Cal. præstari desiderat: per quæ  
 verbageneralia liquido apparet, nec iudicem posse iu-  
 ramentum hoc remittere, cum ille nec mitior nec durior  
 lege esse possit. *L. 11. pr. ff. de pæn. L. 8. §. 2. C. ad L. Iul. de vi*  
*publ.* Quæ cum ita sint, loco cautelæ commendatur a  
 Math. Mathesilano *sing. 64.* Menoch. *l. 1. arb. quest. 20. n. 6.*  
 Thom. Feratio *cautela 12. n. 1.* Sichard. *ad Rubr. Cod. h. t.*  
*n. 11.* vt aliquis ex litigantibus, in quadam parte acto-  
 rum non magni ponderis, petat iuramentum calu-  
 mniæ, nec vterius infistat, hoc enim casu, si non præ-  
 steur id ipsum, posse eum deinceps processum nul-  
 lum dicere, & hanc nullitatis exceptionem etiam in  
 ipsa executione opponi posse. *Rol. a Valle vol. 1. Conf.*  
*70. n. 8.*

Verum, quemadmodum illam cautelam dete- 10  
 standam, & ad diabolum autorem suum remittendam,  
 rectissime asserunt Hilliger. *ad Donell. l. 23. c. 23. n. 14.*  
 Speckhan *quest. jur. cent. 2. cl. 4. q. 19. n. 3.* Bernhard  
 Græuæus *concl. pract. Cam. concl. 84.* Obrecht. *de I. Cal.*  
*c. 11. n. 28.* Gabr. Sarayn. *in addit. ad dict. sing. Matthesilan.*  
*n. 10.* Curt. *in L. admonendi ff. de iureiur.* ita integra sen- 11  
 tentia supra adducta cum omnibus suis rationibus,  
 quotquot etiam fingantur, merito reiicienda, cum nul-  
 lum plane applausam mereatur. Equidem si secun- 12  
 dum votorum pluralitatem hæc quæstio definienda  
 foret, fateor nostram opinionem, quæ iudici arbitri-  
 um



um remittendi hoc iuramentum concedit, vix meritum applausum, cum plerique in contrarium eant, & ita contraria sententia non possit non pro communi haberi. Sed enim vero, cum error communis non ius faciat, (quamuis & hic non pauci, ob *L. Barbarius Philip-  
pus 3. ff. de officio Prætor. §. 7. Instit. de testam.* satis erronee contrarium asserant) sed ea omnino sententia quæ iure & ratione nititur, reliquis omnibus præferenda, hinc vt ordine procedamus, primum de Legibus, quibus nostra sententia stipatur, deinde vero de rationibus dispiciemus, diluendo simul contraria fundamenta.

- 14 Facit autem huc inprimis textus in *L. De pupillo 5. §. 14. ff. de Nou. Op. N.* vbi expresse dicitur ab *Vlpiano*: *qui nouum opus nunciat iurare debet, non calumnie causa opus nouum nunciare. Hoc iusiurandum auctore Pratore deferitur: id circo non exigitur, vt iuret is ante qui iusiurandum exigit.* Si itaque auctore Pratore, sequitur non auctoritate partis id fieri, & sic iudicem non ex necessitate, sed pro suo arbitrio, hoc iuramentum deferre, vnde omnino fluit, posse etiam iudicem hoc iuramentum, ex iusta tamen causa, vel omittere tacite, vel remittere
- 16 expresse. Cui non potest obiici quod *Vlpianus* ibi de speciali casu loquatur in *N. O.* nunciatione, nam respondeo, id non apparere ex textu, finita enim materia de *N. O. N.* postea interposito puncto, generaliter subiicit *ICTus*: *hoc iusiurandum auctore Pratore deferitur.*
- 17 Quæ verba generaliter etiam accipienda. Nec magis stringit obiectio, *ICTum* ibi de iuramento calumniæ speciali siue malitiæ loqui; dabo enim hoc, inde tamen non sequitur *E. is* textus ad *I. Cal.* generale non potest appli-



applicari, hoc enim passu utrobique eadem est ratio: alia enim huius legis ratio fingi non potest, quam hæc: 18 Idcirco Prætoris arbitrio hoc iuramentum relinquendum esse, quia is perspicere facile potest, an dubia sit nunciandi causa, an vero iuste nuncietur nouum opus, ita ut illo casu exigat hoc iuramentum, non hoc casu.

Sed dixeris, concessio licet textum ita explicatum 19 admitti posse, illum tamen ex iure veteri desumptum esse, videri itaque eum per generalem noui iuris sanctionem in supra citata *L. 2. §. 4. C. d. iurciur. propt. Cal. sublatum*; verum prout supra *cap. 2. n. 52.* iam exposi- 20 tum, non videri legem generalem nouam corrigere specialem legem veterem, nisi id expresse appareat, ita huc etiam illud applicandum est, maxime cum lex illa ibi de hoc casu plane non disponat; Ita enim habent verba eius *sed quia veremur, ne forsitan quidam collusione aliqua utentes, remittere videantur inter se, huiusmodi sacramentum, & ex prædicta dissimulatione nostram sanctionem deludant; sancimus omnes iudices licet ex compromisso cognoscant, vigorem suum exercentes, minime parti tale sacramentum remitti, sed omnimodo hoc, & ab actore & ab fugiente exig;* Vnde satis apparet loqui eam de casu 21 si partes inter se remittant iuramentum calumniæ, quo ipso tamen non statim prohibetur Iudex ex iusta causa id remittere; Nec etiam generalitas verborum finalium contrarium euincit, nam id saltem vult ibidem Imperator, non debere iudicem, quiscunque etiam fuerit, concedere, ut litigantes sibi inuicem hoc iuramentum remittant, ne fraus legi fiat; inde autem hoc ipsum ad nostrum casum non est applicandum, nam manife- 22

G 2

ita



## 48 CAP. III. DE REMISSIONE IVRAMENTI

fit est ratio diuersitatis, cum Reo v. gr. quo iure Actor experiatur & vicissim Actori, quo iure Reus se defendat, non statim vsque adeo pateat, iudex autem melius causæ iustitiam perspicere possit, hinc huic remisio licet, illi non licet, de qua re plenius agemus cap. sequenti.

23 ti. Sed a simili hic argumentum adducamus, quod omnino in iure validum *L. non possunt 12. ff. de LL.* Euerhard *in loco a simili n. 7.* Ita videmus in eadem *L. 2. §. 3.* pariter generaliter statui, quod I. Cal. a Reo fit præstandum præsentem Actore, & tamen ibi additur *vel etiam absente eo, si hoc iudex perspexerit*, ex quo omnino apparet, non hic omne iudicis arbitrium excludi, imo si iudex permittere potest, vt etiam actore absente, Reus hoc iuramentum præstet, cuius tamen præsentia multum omnino confert ad euitandum periurium, vti capite *I. n. 30.* expositum, cur non liceat ipsi, si perspexerit, remittere I. Cal? omnino eadem hic adest ratio.

25 Et sitandem hi textus, sibi inuicem iuncti, non sufficerent ad probandam nostram sententiam: id tamen ex illis, quæ hæctenus disseruimus, patet, dubium esse hunc casum stricto iure, vel plane indecisum, vbi omnino secundum æquitatis normam ferenda sententia

26 *L. placuit 8. C. de Iudic. Masstrill. decis. 24. in fin. Menoch. de arbitr. Iud. Quæst. l. 1. qu. 13. n. 17. Baldus in L. 9. Cod. de suis & legit. vbi æquitatem fundamentum esse, dicit, interpretandi pariter leges & pacta. Quam in rem meretur adduci locus ICri Romanorum disertissimi, Ciceronis sc. qui in Philippica oratione IX. cap. 10. in med. & u. princ. Seruium Sulpitium inter alia his laudibus extollit: *Nec vero flebitur, inquit, admirabilis quadam, & incredibilis, & pene diuina eius in legibus interpretandis,**

aqui-



*æquitate explicanda, scientia. Omnes ex omni ætate, qui hac in civitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Servo Sulpit. non sunt comparandi, neque enim ille magis iuris consultus quam iustitia fuit. Itaque que proficiscebantur a legibus & iure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat, neque constituere litium actiones malebat, quam controuersias tollere. Videamus igitur, an maior æquitas pugnet pro illa communi Dd. sententia ac pro nostra.*

Supponendum autem hic ante omnia Iudici vel 28 ex libello, vel ex documentis adiectis, iam valde probabiliter constare, quod ius agendi satis probatum habeat actor. Hoc igitur casu, si reus exigat ab a-ctore iuramentum calumniæ, quæritur an conuenientius æquitati sit, remittere hoc iusiurandum an exigere? non hic præmittam multa de Iudicis officio, 29 quod is præ reliquis respicere debeat etiam eo, quo omnia iuste ac ordine in iudiciis peragantur, nihilque frustra fiat, qua de re prolixius conferri potest Ziegler in *Dicaſtice* & Gabr. Alvarez de Velasco *tract. de Iudice perfecto*, id vero pro fundamento suppono, debere 30 omnino Iudicem eo imprimis respicere, ne iuramenta superflua ac frustranea in Iudiciis præstentur, nam si alias eo respiciendum est, ne actus aliquis reddatur 31 elusorius, sed vt subsistat potius, quam annulletur, L. 22. ff. de *usu & habitat.* L. 3. ff. de *testam. milit.* L. 12. ff. de *rebus dub.* certe in iuramentis idem dicendum, illa non adhibenda esse, nisi valere debeant & effectum aliquem producere, vbi autem frustra & præter omnem necessitatem exiguntur, potius non permittenda esse, 32 partim, quod regulariter superflua in iure nostro sint



- reprobata *L. vn. §. 2. C. de nou. Cod. fac. L. fin. C. qui ad bon. poss. L. vlt. §. in refutatoris. C. de Appell. L. vlt. C. de donat.*
- 33 Riminald. *L. 2. Cons. 113. n. 50.* partim quod ordinario iure nemo grauandus sit superfluo iuramento. *Specul. l. i. tit. de teste. §. 1. n. 41.* nam non modo peierando, sed & superflue iurando, peccatur, dum nomen Domini, quod reuerenter habendum, in vanum sumitur,
- 34 tur, quod nemo Christianorum ibit inficias; Imo cum alias in iudicio non admittatur probatio quæ non reuelat & concludit, sed tales interrogationes & articuli ex officio a Iudice rescindi soleant, *Card. Tusch. Pract. Conclus. vol. 1. lit. A. concl. 67. n. 42.* *Io. Petr. de Ferrar. in form. exc. contra possit. in verb. superflua.* *Io. Oldendorp. de test. 16. Rubr. de interrogat. test. in princ.* *Bald. ad specul. l. i. tit. de teste Vers. articuli impertinentes.* idem omnino dicendum de probatione quæ fit per iuramentum, hæc enim ob nominis diuini inuocationem sanctior haberi debet, & inde quod superfluum est reiiciendum, ne iudex illius profanationis diuini nominis se participem reddat; prout enim alias dicitur, eum, qui iurare aliquem facit, quem scit peieraturum, periurium ipsum committere *Amanellus de Claris Aquis singul. 88. n. 1.* ita hic etiam recte dicitur, Iudicem qui scit profanari nomen diuinum & permittit, eiusdem peccati reum esse. In nostro autem casu hæc omnia eo accuratius obseruanda quo facilius contingere possunt, iuramentum enim calumniæ propterea exigitur a partibus, vt exinde constet, an contra propriam conscientiam Processum temere in iudicio instituant, hinc iurant *se credere, se habere iustam causam.* Quod si itaq; Iudici iam tum de iustitia cau-

cau-



rnr

causæ constat & ita Actoris Ius litigandi manifestum fit, facile patescit, frustra exigi Iuramentum de credulitate vbi Iudici constat de veritate, multiplicantur ergo iuramenta præter necessitatem: id quod omnino ferendum non est.

Accedit quod Iudex ex officio, quando id ipsi 36  
visum fuerit, I. Cal. a partibus exigere possit, etiam si  
ab iis non petatur, Math. Mathefilanus *sing.* 64. n. 3. &  
*sing.* 65. n. 4. quemadmodum eiusmodi casum mense 37  
Decembr. præteriti anni habuisse illustrem Facultatem  
Iuridicam huius loci, in actis eo transmissis, scio  
ex relatione Dn. Præsidis, quæ Acta ventilata Stargardiae,  
in causa der sämtlichen interessirten Adeltichen  
Patronen der Kirchen zu Triebzo / contra Burgemeister  
und Rath zu Cammin, vbi Actores vindicabant  
bona Ecclesiæ, & cum rei tanquam compatroni, partim  
matriculam, partim etiam alia negarent, quorum tamen  
notitiam non poterant non habere, reverendissimum  
Consistorium, per sententiam Reis iniunxit, vt prius de  
calumnia iurarent. Quæ sententia quamvis per remedium  
restitutionis in integrum, in Pomerania consuetum,  
fuerit impugnata, nihilominus tamen, Actis ad  
Academiam Altorfinam transmissis, confirmata fuit,  
additis solidissimis rationibus decidendi. Hæc  
sententia cum vires rei iudicatæ nacta fuisset, & Rei  
se postmodum ad iusiurandum offerrent, sed in ipsa  
oblatione quædam confiterentur, quæ totam rei faciem  
mutabant, ex officio prælaudatum Consistorium,  
quia videbat hoc iuramentum superfluum esse, id ipsum  
remisit, atque in causa ipsa pronunciauit. Ex quo  
manifesto satis apparet, omnino ab vno ae al- 38  
terum



terum valere argumentum, ita, vt si iudex ex officio in-  
 iungere possit I. Cal., exinde etiam sequatur, posse pa-  
 riter eundem ex iusta causa id ipsum remittere, quod  
 ex prædicto casu satis superque patescit; si enim hoc  
 in potestate iudicis non esset, omnino debuisset reue-  
 rendissimum Consistorium absolute parere sententiæ,  
 atque Reos ad iuramentum præstandum, ad quod se-  
 iam obtulerant, adigere; maxime, cum res iudicata  
 adfuerit, quæ alias a iudice impugnari non potest, cum  
 ius irrefractabile faciat, Alexand. *Vol. 6. Conf. 39. Col. 2.*  
*Paris. lib. 1. Conf. 23. n. 218.* Curt Iunior *l. 2. Conf. 117.*  
 39n. 12. Et huc omnino facit, quod asserit Franciscus Cur-  
 tius in *Repet. L. 2. §. 4. C. b. t. n. 4.* non posse I. Cal. ab alio  
 40quam a iudice deferri, citando simul locum ex Baldo,  
 quo is professus fuit, se in facto obtinuisset, quod,  
 licet Reus petisset iurari de calumnia, Actor  
 tamen id licite recusauerit, propterea, quod non  
 41fuerit delatum a Iudice. Si in causam huius rei  
 inquiras, eam reddi facilissimum est, quod, licet Reus pe-  
 tierit I. Cal. dum tamen Iudex id ipsum non detulit,  
 videatur id non iuste petatum, sed a Iudice tacite re-  
 iectum; vnde satis constat, iam tum temporis Iudici  
 42concessam fuisse facultatem remittendi I. Cal. quamuis  
 vt id præstetur, Reus desiderauerit. Hinc in Camera  
 etiam imperiali, ad petitionem partis non præcise hoc  
 iuramentum exigitur, sed ibidem pro re nata remitti-  
 tur, vti factum in causa Hagenmerck contra Heintz  
 von Kinspach / in causa Philippi Staffel contra Iacobum  
 Boler von Regenspurg / vbi bis fuit exactum I. Cal.  
 item in causa Iacobi Altzman contra Hans in Weg-  
 herrn / referente Gailio *lib. 1. obs. 84. n. 5.* Quam in rem  
 no-



notabilis etiam est locus Ordinationis Summi Tribunalis Regii Vismariensis *part. 2. tit. 16. §. 2.* Sonsten soll auch auff diesem gleich wohl bey unserm Ob- rgericht nicht ohne Unterscheid mit Aufbürdunge solches Eydes verfahren / sondern dahin gesehen werden / was für Ursachen seyn daher einige Calumnia zu muthmaßen / welche dann der Deferent kühlich anzeigen / und sonsten damit nicht zu gelassen werden soll / und stellen wir zu unsers Obergerichts Er mäßigung / wie weit darauf die dilation zu erkennen. *item. part. 44. 2. tit. 18. §. 1.* wir wollen zwar dem Eyd für Gefahrde bey unserm Obergericht in Observanz / also wie derselbe in denen gemeinen Rechten gegründet / behalten / gleichwohl aber daß unser Präsident, Vice-Präsident und Assesores, gute Aufsicht haben / damit niemand unnütlicher Weise damit beleget / und Gottes Nahmen unnützlich geführt werde. Vbi in sequentibus generaliter subiiciuntur causæ in quibus Index I. Cal. admittere non debeat, & ita etiam in eo- 45 dem iudicio bis iudicatum fuisse, testatur Meuius *part. 4. Decis. 164. §. part. 6. 247.*

Elegans etiam locus est in der Hinter- Pommer- 46 schen Hoffgerichts- Ordnung *tit. 48. §. 2. ibi:* Es soll aber wenn der Eyd gefodert wird / der deferent allwege die Ursachen anzeigen / warum einige Calumnia zu muthmaßen sey und unser Hoffgerichts- Verwalter und Råthe gute Aufsicht haben / daß delatio iuramenti nicht mißbraucht / noch der Nahme Gottes unnützlich geführt werde / darumb sollen sie die Eyde nicht verstaten / wenn sie verspühren / daß die Eyd nur aus Vorsatz dem Gegentheil Verdruß und Wiederwillen zuzufügen / in richtigen klahren Sachen / und wieder Hand und Siegel deferiret werden / oder wenn Kläger zur Rettung seines Lebens ehrlichen Nahmens / oder Abwendung offenbahren Unrechts / den Proceß führt / der Eyd in erster instanz schon abgelegt / und nicht / warumb der selbe zu  
H wieder



verhohlen / angeführet / oder sonst die suspicio calumnia;  
von demjenigen welchen die delation geschieht / durch etz  
hebliche Anführungen purgiret / und zurücke geleyet wird.

- 47 Sufficenter ni fallor exposui, quibus fundamen-  
tis nostra sententia nitatur; Superest, vt contraria remo-  
ueamus, sed illa tanti ponderis non sunt, vt necessum  
48 sit diu iis inhære, nam quod de forma sub-  
stantiali supra allatum est, illud quamuis in se verissi-  
mum sit, non tamen aliter procedit, quam si talis for-  
ma speciatim a lege sit præscripta, ita vt nullo casu lex  
permittat exceptionem; hoc autem huc applicari non  
potest, cum ipsa lex permittat interdum iudici ali-  
quod arbitrium circa præstationem I. Cal. vti supra  
ostensum, vt ita non possit dici ad substantiam proces-  
49 sus absolute pertinere I. Cal. sed ponamus etiam esse  
I. Cal. de forma substantiali Processus, inde tamen  
non sequitur ergo eadem forma omni tempore, & in  
omni causa obseruanda, nam si permittunt Dd. omit-  
tere interdum formam negotii, si illa non contineat  
in se æquitatem, vti faciunt Io. de Salas *Tr. de LL. qu. 96.*  
*rr. 14. Disp. 16. Sect. 9. n. 36.* Paris *l. 2. Conf. 93. n. 28.* Soar.  
*de LL. l. 5. c. 31. n. 3.* procul dubio id licebit in hoc casu, vbi,  
non modo æquum non est, frustra exigere I. Cal. ac ita  
Dei nomen profanare, sed & impium plane atque de-  
50 testandum. Nec est vt regeras, iuri tamen publico  
non posse derogare iudicem, vel tollere quod commu-  
nis vtilitatis causa introductum; Fateor, thesis optima  
est, sed hypothesis & applicatio pessima; an enim tol-  
lit Iudex I. Cal. eo ipso dum id solum in hoc vel illo casu  
51 præstari non permittit? Et valeret argumentum, si  
contraria sententia in legibus aperte esset decisa, vbi au-  
tem



tem leges pro nostra potius opinione militant, vti supra ostensum, vel seposito hoc, tamen dubia est legislatoris mens, ibi satius omnino erit iudici tutiorem eligere viam, maxime si animæ simul periculum concurrat. Sanchez de Matrimon. l. 2. Disp. 41. n. 9. Sayr. de censura l. 1. c. 16. n. 30. & l. 6. c. 2. n. 16. Io. Maria Nouar. Quæst. forens. l. 1. qu. 14. n. 12. quod hic profecto maximum est, ob summum istum diuini nominis abusum, vbi dubio procul tutius non ad iurandum admittere alterum, quam permittere id, & ita causa peccati existere.

Sed instaret hic quispiam, ipsum tamen Iustinia-  
 num in Nou. 136. c. 6. permittere etiam iuramentum ex  
 abundanti deferri. Si hoc, cur non pariter in præsent  
 casu, vbi de calumnia detegenda agitur, permittimus  
 iurare, saltem ex superabundanti? Enim vero non  
 potest is sensus ex illa Nouella elici, cum plane aliud sit,  
 de quo ibi agat Imp. scilicet vult Iustinianus vt, si quis  
 scripserit se argentariis debere, licet non addiderit cau-  
 sam, tamen obligetur, nec possit ab iis probationem  
 desiderare, nisi forte ex abundanti velit vel ipsi vel cre-  
 ditoris hæredibus iusiurandum deferre. Vnde omni-  
 no patet, non ibi permittere Iustinianum, vt interdum  
 ex abundanti præstetur iuramentum, quod alias præ-  
 standum non esset; sed id innuit Imp. se debitoribus  
 quamuis exceptionem. N. N. pecun. non habeant, ex  
 abundanti tamen concedere facultatem deferendi ius-  
 iurandum, alias enim regula est in L. 14. §. 3. C. de N. N. P.  
 quod qui non habet Exceptionem N. N. P. nec iura-  
 mentum deferre possit, huius regulæ exceptionem h. l.  
 ex abundanti format Imperator. vid. Cuiac. ad d. Nou.  
 136. in fin. Vnicum restat dubium, sed quod maximum



grauissimumque esse videtur. Nimirum cuilibet constat, non modo præstari I. Cal. super illo articulo, quod quis credat se habere iustam causam, sed & quod eam legitimo modo sit persecuturus, vri videre est ex versibus, quibus Herm. Vulreius vim I. Cal. expressit, quita se habent:

*Iuro meam litem mihi sultam iure videri,  
Nec celaturum studio me vera rogatum;  
Nec promissurum, nec causa falsa probandæ  
Sumpturum, nec facturum morasat ut illi.*

Hic itaque vrgeri possêt, si quis vel maxime iustam litigandi causam habeat, non deberi tamen hoc iuramentum propterea statim a iudice remitti, sed ideo etiam exigendum esse, vt Actor in causa etiam iusta a falsis probationibus abstineat, nec aliquid malitiæ in ipsa processus persecutione admittat. Vnde luce meridiana clarius apparet, non posse quamdiu Processus durat remitti a iudice I. Cal. At enim vero facillimum esset hoc negotium componere, si cum illis facere placeret, qui in bona causa mediis illicitis & falsis probationibus vt, non illicitum putant; prout sunt qui plurimum iure abutentes se præstitisse arbitrantur, quando clientis causam seu litem etiam per iniuriam ad victoriam per-tulerunt. Crauett. *de Antiqu. temporis P. 1. in. fin. n. 42.* Sed absit, vt hanc impiam sententiam nostram faciamus, meliora nos docuit scriptura sacra, non esse facienda mala vt bona inde eueniant: proh Deum immortalem! quot malorum causa non esset ista sententia, si in praxi reciperetur, cum quilibet suam causam pro iusta haberet, & sic malis artibus falsisque testi-



monis integra iudicia corrumperet, omnia que sur-  
 fum ac deorsum volueret. Huc autem adhuc dum con-  
 fugiendum non est, sed nihilominus inconcussa stat  
 nostra sententia. Nam si modo iudici de iustitia causæ  
 Actoris constet, tuto potest remittere I. Cal. quod si e-  
 nim postea suspicio oriatur Actorem vel malitiose litem  
 protrahere, vel falsis probationibus uti, semper adhuc in  
 promptu est I. Cal. speciale seu malitiæ, quod in quouis  
 processu articulo, super quocunque momento deferri  
 potest. quæ cum ita sint, non inique a Serenissimo Re-  
 ge Poloniae Iohanne III. inter magistratum & contu-  
 berna ciuitatis Gedanensis Anno 1678. pridie Domin.  
 Sexages. decretum, debere iuramenta Cal. nisi in eu-  
 denti casu & necessitate iuris manifesta, non admitti,  
 idque cum libertate prouocandi appellandique Dn.  
 Hoppius in *commentar. ad §. 1. inst. de pæn. tem. lit. in usu*  
*Hodierno.*

Huius tamen occasione liceat hic de quæstione  
 agere a scopo nostro non aliena, an scilicet ob delatum  
 a parte & a iudice approbatum I. Cal. appellare li-  
 ceat? Videtur omnino id permittendum esse, si enim  
 Iudex ex iusta causa remittere potest, & tenetur hoc  
 iuramentum, grauamen erit, si noluerit remit-  
 tere, iam autem ab omni grauamine licet appella-  
 re. Sed mihi tamen non videtur indistincte appel-  
 lationem permittendam esse, ne hac occasione ma-  
 ior calumniæ præbeatur occasio, & ita processus vl-  
 tra modum extendatur quam ob rem etiam Gedani  
 rarius deferri iuram. Cal. ne, ansâ litigatori temere  
 appellandi suppeditata, lis proteletur magis quam ma-  
 litia coerceatur, testis est Dn. Hoppius *cit. l.* Hinc  
 H 3 præ-



præprimis separandi casus sunt, an de iustitia causæ vel manifesto vel probabilissime constet, an vero dubia admodum sit & anceps, illo casu permittenda appellatio, sic enim verum ac legitimum grauamen est, non autem hoc casu, cum in dubio potius sit ordinem in iure præscriptum sequi.

- 62 Cum igitur demonstratum sit in superioribus, posse iudicem ex iusta causâ, partibus etiam inuitis, remittere iusiurandum hoc, ordo poscit, vt nunc exponamus illas causas ob quas remissio iuramenti fieri potest. Huc facit locus ex Ordinat. iud. Pom. super n. 46. citatus item Ordinat. Summ. Trib. Vismar. part. 2. c. 16. § 1. vbi causæ ita expressæ: darumb soll unser Præfident &c. den Eyd für Gefahrde einmahl nicht verstaten/ in denen Fällen da die Rechte / davon die Parten oder Procuratores entbinden. Zum andern/wann in erster instanz solcher Eyd abgeleget und keine besorgende bringende Ursache sich auffgibet / warumb der Eyd zu wiederholen. Drittens auch auff die Weise/wann der Appellant den Appellation Eyd/vor Richter erster instanz geschworen; Zum vierten wann exactis solche Anzeigen erscheinen/ so den Appellanten oder Appellanten alles Argwohns der Calumniæ entheben als wann Er nothdringlich zu Rettunge seines Lebensgutes Nahmens und Ehre / oder Abwendunge offenbahren unrechts die Sache führen muß / ingleichen da seine intention auff richtigen unlaugbahren Verschreibungen begründet/und Gegentheil dagegen nichts erhebliches/ wodurch der Glaube und Einhalt geschwächet/vorbringen möchte. vid. Meu. part. 6. Decis. 247. Generaliter igitur dicendum est: Iudicem proprium hic adhibere debere arbitrium, vrbene animaduertat, an. I. Cal. frustra exigatur, tunc enim semper remittere id ipsum tenetur; Petitur autem



216

tem frustra toties, quoties de alterius iure litigandi  
 indici constat; constat vero vel plene vel probabili-  
 ter; *Plene* constat, si iam probauerit actor suam in-  
 65 tentionem, vbi minus hæc res dubii habet: vti etiam  
 communis Dd. sententia est, eo casu actorem a præ-  
 stando hoc iuramento liberari Caroc. *de iuram. lit.*  
*Decis. p. 13. n. 21. Schult. Obs. forens. 55. n. 32. id quod*  
*de Iure Canonico manifestum est, vbi cap. 1. X. Iuram.*  
*Cal.* etiam post litem contestatam hoc iuramentum  
 66 deferri potest: sed an idem de Iure ciuili obtineat,  
 quæstionis est? Negat Hilliger *ad Donell. l. 24. c. 3. lit. P.*  
*in fin.* & hinc superfluam dicit quæstionem, an præ-  
 standum sit I. Cal. post peractam probationem, cum  
 hæc demum post litem contestationem perfici possit.  
 Verum adhuc tamen casus contingere potest, si scili-  
 67 cet suas probationes libello iunxerit actor, ex quibus  
 earum vim cognoscere Iudex facile potest. Imo ex-  
 68 istimo contra Hilligerum defendi posse, licere etiam  
 post lit. cont. de Iure ciuili hoc iuramentum exigere,  
 si forte ante litem contestationem neglectum, hoc e-  
 nim omnino conuenit menti LLatoris, qui volebat vt  
 omniratione obuiam eatur calumniis litigantium; cer-  
 te contrarium in Iure expresse positum non reperi-  
 tur: Imo textus ab Hilligero citatus in *L. 14. §. 1. de Iu-*  
*dic.* ipsi potius contrarius est, cum expresse post li-  
 tem contestatam iurari permittat.

*Probabiliter* constat Iudici de iure actoris, si aga-  
 69 tur ex instrumento quarantigiato, vulgo *auff flare*  
*Brieff und Siegel* / vbi non petitur a Reo vt litem con-  
 testetur, sed vt recognoscat manum vel iurato diffi-  
 teatur. Hic si reus desideret præstationem I. Cal. Iu-  
 dex



dex id remittere debet, ne sub hoc prætextu protrahatur processus & impediatur executio, cum actor  
 70 causam litigandi probabiliſſimam pro se habeat. Aliud est, si quis ex Iure cesso agat, hic enim, quamuis ex instrumentis quarantigiatis processum instituat, quia tamen nondum constat, quo fine cedi sibi actionem passus fuerit, non habet eandem pro se præsumptionem iustitiæ, cum cessionarii plerumque habeant animum vexandi adversarium atque opprimendi, maxime si potentes fuerint. vid. Dn. Præſes in *Disp. de Potentiore cessionario*. Cum enim aduocati & procuratores, qui alterius causa litigant, ad hoc Iur. præstandum obligentur multo magis cessionarius ut procurator in rem suam ad id obstrictus erit Alphonſ. de Olea *Tr. De Cessione Iur. & Act. tit 6. Miscell. n. 14. p. 437. Hypol. Montan. in addit. ad Oliban. de Action. P. 2. l. 1. c. 4. n. 42.* Imo ipsum etiam cedentem teneri hoc Iuramentum Cal. præſtare, si pars altera id deſiderauerit communis sententia est. Alph. de Olea *d. l. n. 17. Ant. del Re de Iur. Cal. c. 15. n. 417. seqq.* Hieron. de Leon. 71 *l. 2. dec. 211. n. 11. seqq.* Idem quod de Instrum. guarentidictum, obrinet si quis ex cambio agat, nach *Weyel Recht* / nam & hic iustam causam habet actor, & pariter celerissime proceditur, nec vllæ altioris indaginis exceptiones admittuntur. Qua de re prolixius videri potest. Sigismundus Scaccia *Tr. de Cambiis. Gait. de credit. Anton. Menda de Cambio nundinali. Raphael de Turri de Cambio Martin. Voigt in simili tractatu.* Idem 72 in omnibus aliis causis summaris locum habere puto, quia hæ causæ absque vlla mora, quam primum fieri potest, expediendæ. Vnde omnino reprehensionem



nem meretur Menoch. *A. I. quest. 20. n. 1. & Adispisc. poss. remed. 4. n. 553.* qui existimat, non posse Iudicem in causis summaris remittere iusiurandum calumniæ; Si enim reliqua quæ altioris indaginis sunt, hic non admittuntur, cur non idem de hoc I. Cal. dicendum? Hoc namque si prius exigendum esset, Processus non minimam partem prolongaretur. Inde in causis litigiosæ possessionis non iurari de calumnia testatur. Gailius *l. 1. obs. 6. n. 3.* quamuis in reliquis causis summaris hoc iuramentum necessarium esse ibidem statuat.

Hac occasione non incongrue quæri posset, quid 74  
fentiendum, si mercator ex libro suo actionem insti-  
tuat, an adigi possit ad I. Cal. præstandum? Videri pos- 75  
set quod omnino teneatur Iuramentum illud præ-  
stare, cum sola illa scriptura quæ tamen priuata tan-  
tum est, non majorem vim habere queat, quam iudi-  
cium in propria causa dictum *L. 5. 6. & 7. C. de probat. Nouell. 73. c. 3.* Vnde & manifestum est, posse quidem  
contra scribentem produci scripturam priuatam *L. 26. §. 2. ff. de possi. Cap. 2. X. de fide instrum.* non vero pro scri-  
bente Felin *ad d. Cap. 2. X. de fide instrum. n. 2.* Schneide-  
win *ad tit. Instit. de liter. Oblig. n. 14.* si autem hoc, sta-  
tim etiam consequitur, non posse ex illa scriptura, ne  
quidem probabiliter constare, de iustitia causæ; quo  
fundamento cessante, cessabit etiam liberatio a I. Cal.  
sed tamen existimo isto non obstante, eiusmodi acto- 76  
ri remittendum esse a Iudice hoc iuramentum, cum  
omnino præsumptionem iustæ litis pro se habeat, si  
liber iste ex quo agit mercatorum more sit conscri-  
ptus, credita & debita vt & data & accepta conti-



neat, causa debendi sit expressa, ac ipse etiam actor  
 77 persona sit fide digna ac integræ vitæ. Vt enim,  
 non plene probet istiusmodi liber, sufficit tamen quod  
 faciat semiplenam probationem, vt Dd. communiter  
 sentiunt. Casp. Klock *de Contribut. c. 20. n. 417. seqq.*  
 Hartm. Pistor. *obseru. 86.* Anton. Faber *in Cod. lib. 4. tit.*  
*16. def. 5.* Pacianus *de probat. l. 1. c. 63. n. 20.* Gail. *l. 2.*  
 78 *obs. 20.* aliique ab his citati. Quibus non obsunt supra  
 in contrarium allata, cum illa regulam faciant, hæc  
 exceptionem fauore mercaturæ, & quia inter mer-  
 catores ex æquo & bono, non vero secundum Iuris  
 79 apices pronuntiandum, Baldus *Vol. 1. cons. 198. n. 5.* cui  
 accedit, quod consuetudo quæ vim legis habet, pu-  
 blicam auctoritatem tribuat huic scripturæ priuatæ,  
 Gail. *d. l. n. 6.* Cum itaque talis liber semiplenam faciat  
 probationem, omnino existimo non admittere debe-  
 re Iudicem, vt Actor I. Cal. præstet, cum de iusta a-  
 80 gendi causa iam constet. Imo quamuis Dd. senten-  
 tia sit, librum qui iusto ordine non constat, sed confu-  
 se conscriptus, idem si non concernat fauorem mer-  
 caturæ, non probare, ne quidem semiplene, licet vir  
 inculpata vitæ & famæ fuerit Meus. *P. 1. Decis. 241. P. 2.*  
 81 *Decis. 92. & P. 5. Decis. 18.* Hoc tamen casu puto nihilo-  
 minus Iudicem remittere debere I. Cal. si sc. integræ  
 vitæ sit Actor, vtut enim per istum librum nec ple-  
 ne nec semiplene probaverit, tantum tamen inde ap-  
 82 paret, eum, si non iustissimam, probabilem saltem  
 causam litigandi habere, & non calumnioselitem mo-  
 uere. Idem applicandum ad casum, si agatur ex li-  
 bris Genethliacis, Stambüchern / vel ex Parochialibus  
 Lauffbüchern / vel ex Nobilium, aus denen Erb-Regis-  
 tern



stern ober Erb-Büchern / nam & illis Dd. probandi vim non minimam tribuunt, videatur de illis, Gailius l. 2. obs. 149. n. 7. de istis, Viuius 1. Decis. 148. de his, Mollerus 4. Semestr. 37

Si causa notoria sit, ob quam processum instituit actor, pariter remittet iudex hoc iuramentum, unde communiter Dd. de calumnia non iurari in causa notoria asserunt Gylmannus rer. Iudicat. l. 2. Decis. 11. n. 20. Obrecht. c. 8. n. fin. nam si causa fatua a dolo excusat, vti tritum habet brocardicum, cur non notorietas præbeat excusationem? qui autem a dolo immunis est, non potest grauari I. Cal. cum hoc propterea inuentum sit, vt dolus eo eliciatur, qui si absit, aberit etiam calumnia, & sic superfluum erit iuramentum. Id quod nullum dubium habet, si notorium sit simul verum: Ast, supposito casu, vbi notorietas falsum ru- morem continet, vel tamen de eius veritate dubita- tur, res non erit adeo expedita. Opinor locum sic esse I. Cal. quamuis enim communis fama pro actore loquatur, cum tamen illa incertæ sit fidei, & dubium, an non actor fama hac vtatur ad tegendam malitiam, dum forte in conscientia sua veritatis rei optime gnarus, non poterit aliter explicari hoc dubium, quam per I. Cal. ne fallax fama malis ad opprimendos innocentes inseruiat. Et hoc est quod dicunt Dd. in eiusmodi causis notoriis non necessarium esse I. Cal. in quibus nulla probatione opus Anton del Re c. 20. n. 4.

Nec negligendus est casus, si quis ab altero malis grauissimisque iniuriis laceffatus famam suam vindicare ac in iudicio agere constituerit. Hoc certe casu quin remittendum sit iuram. Cal. non puto reale



dubium superesse, cum læsus omnino iustam agendi causam habeat. Idem ad iniurias reales multo magis applicandum. Et huc pertinent verba Ord. Iudic. Pomer. supra n. 46. adducta, vbi inter alia dicitur: Wann Kläger zu Rettung seines Lebens, ehrlichen Namens, oder Abwendung offenbahren Unrechts den Proceß führet, & verba Ordin. summi tribun. Vism. wann er noth dringlich zu Rettung seines Lebens, guten Namens und Ehre, oder Abwendung offenbahren Unrechts, die Sache führen muß. *supra n. 63.*

Diximus in precedentibus debere iudicem remittere hoc I. Cal. si vel plene vel probabiliter ipsi de iustitia causæ constet, de vtroque exempla subiicimus, ex quibus ad casus similes duci argumentum poterit, nam omnes  
 87 hic ordine recensere, nec licet, nec libet. Vbique autem Iudex probe attendat, an consultum sit admittere actorem ad I. Cal. an vero secus, nam & interdum, quamuis ipsi de iustitia causæ nondum, ne probabiliter quidem constet, adhuc tamen remittere tenetur hoc iuramentum, veluti si I. Cal. degeneret in iuramentum veritatis, vti in causis matrimonialibus, cuius rei  
 89 casum formauimus supra cap. 1. n. 65. Hinc in terris Saxonis promissio tantum exigitur a litigantibus, de veritate dicenda, adhibita seuera comminatione, quod si res postmodum aliter fuerit comperta, grauem illos pœnam, vel carceris vel aliam arbitrariam, expectare debere. *Beuft. de sponsal. c. 25. Berlich. part. 1. Concl. 31. n. 29.*  
 90 *Setser. de iuram. l. 3. c. 4. n. 13.* Idem quod de matrimonialibus causis dictum, in reliquis causis spiritualibus obtinet, quamuis enim hodie iure nouissimo permittatur in spiritualibus iurare de calumnia cap. 1. §. *fn. de iuram. Cal. in 6to* per quod capitulum correctæ est Eugenii III.

con-



constitutio in *cap. 2. X. d. t. Sigismund. Scaccia de Iud. c. l. 2. c. 1. n. 148.* Gonzalez Tellez *ad cap. fin. X. d. t. n. 13.* Bachou. *ad Treutl. vol. 1. Disp. 21. tb. 4. lit. B.* id tamen non aliter intelligendum, quam sub hac limitatione, nisi I. Cal. degeneret in iuramentum veritatis, & de facto proprio litigetur. Ex eadem ratione, in criminalibus reiicitur I. Cal. a non paucis, quia scilicet non de opinione, sed veritate iuratur, totum illud quod in accusatione est, verum esse, & ita degenerat in iuramentum veritatis, uti post Baldum, Salycetum aliosque statuit Franciscus Curtius *in repetit. L. 1. C. b. t. n. 1.* Barbofa *ad cap. 1. de I. Cal. in 6to.* & Gonzelez Tellez. *ad cap. fin. X. d. t. n. 12. in fin.* Sed tamen non debere iudicem accusatori remittere hoc in iurandum, vel exinde patet, quod ita constare non possit, quo animo accusatio fuerit instituta, maxime cum hodie inscriptionis usus non superfit, Anton. Perez. *in C. d. t. n. 6.* Id vero recte statuitur, non esse in criminalibus Reum admittendum ad hoc iuramentum, quotus enim quisque est, qui se religione teneri putet, si de fortunis & capite agitur? vel quorsum Reus iuraret, cum illius iuramento non steretur, sed nihilominus peragatur Reus? uti rectissime loquitur Georg. Obrecht. *de I. Cal. c. 8. n. 32.* Interim tamen non esse remittendum hoc iuramentum defensori Rei existimo, ut ille hac ratione prohibeatur, causam Rei per fas & nefas defendere, cum reipublicæ interfit malos puniri

Caueat etiam Iudex, ne hoc iuramentum ultra necessitatem repetatur in Iudicio, sed hoc casu, si semel prælitum altera vice remittatur. Sed dixi *ultra necessitatem.* Huc enim reuocanda est quæstio inter Dd. agitata,



tata, an in causa appellationis denuo exigi possit I. Cal? pugnauerunt hic inter se interpretes, Piacentinus & Azo negauerunt quaestionem, Martinus affirmauit, vid. Gonzalez Tellez *ad cap. fin. X. h. t. n. 13. in. fin.* Iure ciuili res dubia, iure Canonico uero expedita *per cap. 2. b. t. in 610.* Quamcunque tamen sententiam quis elegerit, si eam generaliter accipiat, fallitur, nec enim absolute uera est affirmatiua nec negatiua, hinc omnino iudex arbitrari debet, an necesse sit. Neque existimandum, <sup>97</sup>rum saltem necessum esse hoc iuramentum, si noui aliquid in appellationis instantia fuerit adductum, sed & si nihil noui urgeatur; nam si res non magnas, difficultates habeat, & sententia definitiua lata, potuit forte <sup>89</sup>vel per eam, vel per rationes adductas, appellans conuictus esse, ut ita non amplius credat causam suam esse iustam, quae res indaganda per nouam praestationem I. Cal. quod si autem appellantis ius dubium sit, & causa intricata, tum si semel praestiterit I. Cal. non amplius eius praestatione grauandus est, & ita explicandum est *d. cap. 2. ne iniquitate laboret.* Nisi tamen alia puncta contineat I. Cal. quae in potestate iudicis non sunt, tum enim non possit id remittere. Exemplum est in privilegio appellationis a Ferdinando III. Imp. concessio Wilhelmo VI. Landgrauio Hassiae A. 1650. d. 26. Aug. ubi appellans ad cameram ita iurare iubetur: *daß die Sache und Beschwerde/ davon Er appellire seines Wissen und Verstand nicht unter/ auch nicht auf/ sondern über Tausend Guldin Keinsch wohlwerth zu achten sey/ und daß Er von ergangenen Urtheil oder Spruch nicht gefährlich oder seine Wiederpart an seiner Gerechtigkeit zu verhindern oder zu verlängern/ oder einiges Weges umbzutreiben/ und* aus



auszumatten appellirt / oder derselben appellation anzu-  
 hengen begehre / sondern das Er nicht anders wisse / ver-  
 odergläube / dann das Er eine gerechte Sache habe / auch des  
 rohalben nach Sähung der Recht seine Gerechtigkeit zu  
 schirmen / zu appelliren / und weiter Recht zuzuchen noth-  
 dürfftig seye / das Er auch derselben appellation, ob Er mit  
 seiner Wiederpart gütslich nicht vertragen würde / förder-  
 lich nach seinem besten vermögen und in der zu rechtgesetzten  
 Zeit nachkommen / und die prosequiren wolle / und darauf  
 seine Wiederpart oder appellanten umb sein behalten Recht /  
 so Er erlangt hat / auch Kosten und Schaden / die er des-  
 halben empfähet / und ihme mit Recht zu erkandt seyn oder  
 werden / so Er der appellant im rechten der Sache verlustig  
 oder derselben die gemelte Zeit nicht nachkommen würde /  
 alles ablegen / und dafür genug thun wolle. vbi cum non  
 modo propter calumniam, sed & propter summam  
 appellabilem iuretur, non licet iudici hoc iuramentum  
 remittere, nisi & de iusticia causæ & de summa appella-  
 bili manifesto ipsi constet.

Si sola Iuris quæstio sit, quæ in Iudicio agitur, 100  
 an non Index remittere hoc iuramentum debeat,  
 non inutile est quæsiuisse? communiter existimant  
 Dd. hoc casu cessare præstationem I. Cal. cum id sal-  
 tem in quæstionibus facti locum habeat, Anton del  
 Re c. 20. n. 5. seqq. vbi rationem obstantem, quod tamen  
 Aduocatus illud iuramentum præstare debeat, cuius  
 officium circa ea quæ Iuris sunt versatur, ita resoluit:  
*Isud verum esset, inquiens, quando Aduocatus se contine-*  
*ret in terminis Aduocationis & in iis quæ sunt Iuris, sed se-*  
*pe quidam Aduocati supplent ea, quæ sunt facti, & aliquan-*  
*do inique citant leges abrogatas, vel sensum genuinum le-*  
*gis contorquent, vel mutilata citant Iura, instruunt Partes*  
 nega-



negare positiones, & alia iniqua faciunt, ideo debent iurare  
 101 circa hæc vt dixi. Verum rem non acu tetigit, Anto-  
 nius, nec omnem difficultatem effugit, si enim vel ma-  
 xime concedam ob malitiam Aduocatorum nonnul-  
 lorum qui Clientes suos fraudibus instrunt, I. Cal. eo  
 extensum esse, non tamen ob id solum illud iuramen-  
 tum exigitur, sequeretur enim inde, illum Aduocatum  
 qui integræ vitæ ac optimæ famæ est, & nunquam  
 istiusmodi conuictus est nequitia, liberaria præstatio-  
 ne I. Cal. quod tamen veritati Iuris manifesto contra-  
 riatur, itaque opinor, non esse hanc causam sufficien-  
 102 tem vt Iudex propterea I. Cal. partibus remittat. Sit  
 enim quæstio hæc anceps & dubia, sint ab vtraque  
 parte rationes probabiles, habeat etiam quæuis sen-  
 tentia Dd. consentientes, inde tamen nondum cessat  
 effectus I. Cal. hoc enim principale est, quod iuratur,  
 103 se credere, se habere iustam causam. Quod si itaque quis-  
 piam hæcenus quidem opinionem aliquam in mente  
 fouerit, & de eius veritate conuictus fuerit, iam au-  
 tem, suborto casu, contrariam opinionem assumat, li-  
 cet sciat, vel ad minimum credat, eam iniquam esse,  
 an non is malitiose lidem suscipit? Vtique id affirman-  
 dum, tuetur enim sententiam, quam tamen in con-  
 scientia sua iniquam putat, itaque omnino hic I. Cal.  
 104 opus. Sed ista non aliter accipi velim, quam si parsipsa  
 Iuris peritiam habeat, nam si inferioris conditionis  
 fuerit, vel qui lura ignorat, tum remittendum ipsi a  
 Iudice est iuramentum; Hic enim frustra id ipsum præ-  
 staret, cum totum negotium non inteligat, sufficit  
 itaque eius Aduocatum ad I. Cal. præstandum a-  
 digi.

Extra



Extra hos & fimiles casus, quos arbitrio iudicis re-<sup>105</sup>  
linquimus, non remittendum est I. Cal. sed seuerè ac  
secundum præscriptam a iure normam exigendum.  
Quo factò non dubitamus fore, vt tam calumnia repel-<sup>106</sup>  
latur a iudiciis, si scilicet, vt *capite 1.* exposuimus, ex-  
actio I. Cal. stricte obseruetur & abusus quantum fie-  
ri potest tollantur, quam superflua iuramentorum  
præstatio, ac ira diuini Nominis profanatio euiterur,  
si quidem exacte I. Cal. obseruetur in iudiciis, sed iudi-  
cis simul arbitrium in eo remittendo non negligat-  
tur.

Dispicendum vero adhuc, antequam huic capiti<sup>107</sup>  
finem imponamus, quid sentiendum de iuramento ca-  
lumniæ speciali, seu malitiæ, an & illud remittere iudex  
ex officio possit? Videri poterat, quod non, cum pla-<sup>108</sup>  
ne diuersa sit eius ratio, ac iuramentum malitiæ non  
publicæ, sed priuatæ vtilitatis causa, introductum,  
vt proinde non subiaceat arbitrio iudicis, ille enim quod  
priuatis ius quæsitum, absque eorum factò ipsis aufer-  
re non potest. Sed tamen placet affirmatiua quæ iudi-<sup>109</sup>  
ci eandem facultatem hic concedit: Vt enim differant  
hæc iuramenta ab inuicem, in eo tamen conueniunt,  
quod in vtroque frustra præstato fit profanatio diuini  
Nominis. Interim vero hæc non generaliter acci-<sup>110</sup>  
pienda volumus, sed distinguenda sunt iuramenta ma-  
litiæ, non enim ob eandem causam semper exiguntur,  
sed ob varias, quotiescunque metuitur malitia; in qua  
varietate hanc regulam notamus: *Quoties iuramentum III*  
*malitiæ præstandum est, ob expressam & specialem iuris consti-*  
*tutionem, toties iudex illud remittere nequit:* est enim ser-  
uus legis, non arbiter. Huc pertinet casus si Actor <sup>112</sup>  
K Reo



Reo iuramentum detulerit super tota causa vel aliqua eius parte, vbi prius de calumnia iurare tenetur *L. 34. §. 4. & l. 37. ff. de iureiur. §. fin. instit. de fideicommiss. hereditat.* Idem in casibus similibus obtinet *conf. L. 6. §. 2. & l. 9. §. 3. ff. de edend. l. 8. §. 5. ff. qui satisd. cog. l. 15. ff. ad exhibend. l. 11. §. 1. ff. rer. amort. L. 5. §. 14. ff. de Nou. Oper. nunciat.*

**113** *L. 13. §. 3. ff. damn. infect.* Quod si autem alias exigatur iuramentum malitiæ super certis articulis vbi id præstandum Lex in specie non desiderat, ibi omnino id **114** ipsum ex iusta causa potest remittere iudex. Ita v. gr. exigitur iuramentum malitiæ in quibusdam locis si quis vel appellare vel restitutionem in integrum petere velit, quo casu si videat iudex, vel iustam esse petentis causam, vel iniustam manifesto, ac malitiose protrahi processum, & ita iurantem peieraturum, & potest & debet hoc iuramentum remittere, vti in causa **Wenz Blüchers** litis curatoris contra **Vincent Blücheren** die 19. Ianuarii Anno 1656. iudicatum esse, refert **Meuius p. 4. Decis. 53.** Quamvis & hoc Iur. Cal. generale dici possit.

**115** Cum itaque in præsentî capite sufficienter dictum sit de quæstione, an iudex, & in quibus causis, remittere possit I. Cal. non abs re erit, colophonis vice quæsiuissè, an iuramentum quod ipsi iudices præstare debent remitti possit? supra *cap. 1 n. 59. seqq.* diximus, debuissè olim iudices in singulis causis iurare, *conf. Richter ad Aub. Hodie Cod. de iudic. n. 1.* Hoc vero cum hodie non amplius exigatur, de quo videatur. *Ordinat. Cam. p. 1. tit. 57. vers. ein jeder zuvor / & tit. 13. §. 1. Zigler. in Dicastice concl. 16. §. 24.* superfluum est de eius remissione quærere, videamus itaque an illud iuramentum quod ab initio **nō officii præstant Iudices, remitti iis possit? placet.**

ne-



negatiua, quia hoc non posset non materiam delinquendi producere, quæ tamen omnibus modis euitanda: hinc nec statutum nec consuetudinem valere quæ id remittit Dd. asserunt. *Mynsing. Cent. 2. Obseru. 76. Roch. de Curte in repetit. cap. ult. X. de Consuet. n. 13. Bencckendorff. ad Seraphini tr. de priuil. iurament. priuil. 166. n. 2. Setfer. de iuram. lib. 3. c. 3. n. 3.* aliique ab his citati.

Cum itaque, vti ex toto hoc capite patet, omnia n7 ex arbitrio iudicis dependeant, is vero non semper cum optimæ farinæ hominibus rem habeat, sed cum illis etiam qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, discreti aduersus iniusticiam, eruditi pro falsitate; qui sapientes sunt ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum, qui instruunt a quibus fuerant instruendi, astruunt non comperta, sed suas struunt de proprio calumnias Innocentia, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt iustitiæ vias, vti Rabulas eleganter describit Tertulianus de virgin. veland. c. 4. itaque omnino sibi etiam dicta esse existimabit, quæ habet Bernhardus in Considerat. ad Eugenium l. 1. c. 10. *Mirror quemadmodum religiosæ aures tue audire sustinent huiusmodi disputationes Aduocatorum, & pugnas verborum. quæ magis ad subuersionem, quam ad inuentionem proficiunt veritatis. Corrige prauum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia dolosa claudere.*

## CAP. IV.

De

## REMISSIONE IVRAM. CAL.

QVÆ FIT A PARTE.

K 2

CON-



**A**N pars parti hoc iuramentum remittere possit? n. 1. Rationes pro affirmatiua. n. 2. seqq. Negatiua defenditur n. 6. seqq. Remouetur prima ratio pro affirmatiua adducta. n. 9. seqq. Item secunda n. 15. seq. Tertia. n. 17. Quarta n. 18. An valeat tacita partium remissio n. 19. Affirmatur de Iure Canonico n. 20. seqq. Rationes dubitandi n. 23. 24. Remouentur. n. 25. seqq. Quid sit remissio tacita? n. 28. Quodnam eius fundamentum? n. 29. Dubium tollitur n. 30. seqq. Quandoque taciti eadem vis non est quam expressi n. 34. seqq. An iure civili valeat tacita remissio? n. 37. Negantium sententia adducitur cum suis fundamentis n. 38. seq. Affirmatiua defenditur n. 43. Rationibus n. 44. seqq. Legibus n. 47. seqq. Contraria argumenta remouentur n. 52. seqq. Regula: multa expressa nocent non expressa non nocent, defenditur n. 60. seqq. Exempla regule n. 67. seqq. Casus quibus expresse remitti poterit Iur. Cal. n. 74. seqq. Quid si cum Anabaptista litigandum? n. 78. Illis iudex etiam ex officio I. Cal. remittere debet n. 79. Non vero remittendum iis iuramentum iudiciale n. 80. seqq. Preiudicium n. 83. Quomodo differat hoc casu I. Cal. & Iur. Iudiciale n. 84. Iuram. Cal. speciale expresse remitti poterit. n. 85. Conclusio. n. 86.

**I** Vidimus in præcedentibus, quibus lex remittat I. Cal. & quodnam Iudicis circa eius remissionem officium sit, iam ordo instituti poscit vt videamus, an pars etiam parti hoc iuramentum remittere possit? Viderur dicendum quod sic, (1) quia iuramentum hoc ideo introductum, vt quilibet a calumnia alterius sit immunis, ac proinde poterit huic be-



beneficio renunciari, cum hoc ipso nemini quam sibi ipsi præiudicet remittens, quod cuius facere permis-  
 sum, dum vnusquisque de iure suo quantumlibet destrahere potest *L. 48. in fin. ff. de pact. l. 29. C. eod. l. 41. ff. de minor.* (2) notissimum est, posse alias iuramentum alteri re-  
 mitti v. g. testi *L. 6. 37. § pen. ff. de iure iur. cap. 39. X. de testib.* Cur itaque non alteri parti possit remitti I. Cal?  
 (3) semper magis in iudicio abstinendum a iuramentis, 4  
 si aliter res decidi possit, ne nomen diuinum profane-  
 tur; vti præcedenti capite prolixius probatum est, (4) iu-  
 dici generaliter iniungitur, quod illud quod inter partes  
 litigantes conuenit in ferenda sententia sequi debeat.  
*L. 26. ff. de iudic.*

Interim tamen illis non obstantibus contrarium 6  
 in Iure placuit: vbi in Iure Ciuili clarissima est consti-  
 tutio in *L. 2. §. 4. C. b. t. sed quia veremur* inquit Imp. *ne for-*  
*sit an quidam collusionem aliqua vtentes, remittere videan-*  
*tur inter se huiusmodi sacramentum & ex prædicta dissi-*  
*mulatione nostram sanctionem deludant, sancimus, omnes*  
*iudices licet ex compromisso cognoscant, minime pati tale*  
*sacramentum remitti, sed omnimodo hoc & ab actore & a*  
*fugiente exigere; ne paulatim videatur huiusmodi res defrau-*  
*dari.* Vnde omnino manifestum est, non licere parti-  
 bus hoc iuramentum sibi inuicem remittere. Quæ res 8  
 vt eo clarior reddatur, rationem etiam addit Imperator  
*d. l. quia non pro commodo priuatorum, sed pro communi*  
*utilitate presentem legem posuimus, vt ita priuatorum ar-*  
*bitrio eximeret hoc iuramentum.*

Hinc parum concludunt, quæ in contrarium 9  
 allata sunt, nam quamuis alias quilibet Iuri ac priui-  
 legio suo renunciare possit, id tamen exceptionem



- meretur, si priuilegium aliquod ob publicam vtilitatem sit introductum *L. 7. §. 1. 4. ff. de pact. L. 38. ff. eod.* Cui non obest, quod hoc I. Cal. non tantum vtilitatis publicæ, sed & commodi priuatorum gratia videatur introductum, quo casu pactum in contrarium admittunt Dd. Bolognerus in *L. nemo potest ff. de Legat. n. 266. & seqq.*
- 11 Cagnolus in *L. nec ex pratorio. de R. I. n. 4.* Huic enim repono, quod primo nemo melius rationem introducti I. Cal. nobis exponere possit, quam ipse qui legem tulit Iustinianus, is vero expresse asserit, se tantum vtilitatis
- 12 publicæ causa hoc iuramentum introduxisse; deinde, sit ita, priuatorum etiam causa illud introductum esse id tamen patet, hoc tantum factum esse per consequentiam, a potiori autem, vt vulgo loquimur, facienda de-
- 13 nominatio. Vnde mirari subit, quare Gonzalez Tellez, optimus alias Iuris Canonici Interpres, distinctionem formet, ita, vt generaliter quidem remitti non posse hoc iuramentum asserat, tum vero posse, cum ad priuatam cuiuscunque causam exigatur *ad Capit. fin. X. de*
- 14 *I. Cal. n. 5. in med.* Dubito enim an casus fingi possit, vbi non simul concurrat publici causa, vt pote quæ vult, vt in nullo negotio calumnia admittatur in iudiciis. Imo, quando Reus ab Actore exigit I. Cal. semper id facit ob priuatam causam suam; ergo secundum mentem illius, semper remitti posset hoc iuramentum.
- 15 Quo ipso simul corrui *secundum* argumentum contrarium: non enim nego, posse etiam alias iuramentum præstandum parti vel testi, remitti, sed inde
- 16 tamen non idem potest de I. Cal. asseri, nam ibi priuata tantum vtilitas versatur, sed hic seu in I. Cal. simul publica, vt modo demonstratum, Curtius *ad d. l. 2. §. sed quia*



quia C. b. t. Paulus Galleratus *tr. de renunciat. tom. 2. cent. 2. renunc. 158. n. 2. in fin.* Forner. l. 2. *select. c. 4.* Sed & 17 quod *tertiam* rationem dubitandi concernit, non auctor sum, vt frustra exigantur iuramenta, sed tamen ob metum abusus non tollendus est legitimus iuramentorum vsus. Nec alterius farinae est *quartum* ar- 18 gumentum contrarium, debet enim omnino iudicis sententia conuentionibus priuatorum esse conformis, sed non aliter, quam si partes de re, quæ in eorum potestate est, pacti fuerint, id quod hic ita non se habet.

Hæc autem de remissione expressa indubitati lu- 19 ris sunt, an vero idem obtineat in remissione tacita, vbi quidem partes non expresse sibi inuicem remiserunt hoc iuramentum, videndum est. Rem omnem 20 perficit Bonifacius VIII. *in Cap. 1. de I. Cal. in 6to.* Vbi hæc verba habet: *Propter omissum quoque tacite in tota causa calumnia iuramentum, iudicialis processus, alias factus legitime, non est nullus, nec etiam annullandus* vt hac ratio- 21 ne non absolute de substantia Processus dicatur hoc iur. sed tum demum, si fuerit exactum Guido de Suzaria *tr. de Ordine Iudiciario n. 90. in fin.* Sigism. Scaccia 2. *de Iudic. l. n. 49. seqq.* Vnde communiore asserunt Dd. Iur. Cal. 2 2 non expresse sed bene tacite remitti posse Franc. Curt. *ad d. L. 2. §. sed quia C. b. t. n. 1.* Mathesil. *sing. 64.* Mancin. *de iuram. P. 2. art. 1. n. 6.* Marfil. *sing. 251.* Paul. Gallerat. *de Renunciat. Tom. II. Cent. 2. Ren. 158. n. 2.* Ant del Re *de Iur. Cal. c. 12. n. 8.* Sigism. Scaccia *de Iud. l. 2. c. 1. n. 29.* Borell. *Dec. 51. n. 11.* Petr. Gregor. *Syntagm. l. 48. c. 6. n. 10.* Guido de Suzaria *de Ordine iudic. n. 91.* Petr. de Vnzola *in pract. art. not. ar. qui reperitur in tractatu tractatum Vol. XI. pag. 174. n. 3.* Barbat. *Vol. 3. conf. 49. n. 7.* Ioan. de Arnono *pract.*



*pract. Iudic. cap. 40. Viuius l. 1. opin. 258. n. 5. Afflict. Dec. 283. n. 7. & alii ab his citati.*

- 23 Sed hiſce videntur non leuia obiici poſſe, ſc.  
quod eadem ſubſit ratio in remiſſione tam expreſſa  
24 quam tacita; imo in iure noſtro taciti eandem vim eſſe  
quam expreſſi Menoch *de preſum. l. 4. preſ. 40. n. 8. &*  
*conf. 198. n. 54. Conuarruu. in Cap. Quamuis pactum, de*  
*pact. in. 6to P. 2. in init. n. 6. Alexander l. 7. Conf. 109. n. 17.*  
*Ioſeph. Vela Diſfert. 12. n. 12. Vgolin. de officio & poteſta-*  
25 *te Episcopii c. 7. §. 2. n. 7.* ſed vero vtrumque argu-  
mentum non magni ponderis eſt, primo enim non  
26 eadem hic ratio ſed plane diuerſa eſt, in remiſſione  
expreſſa & tacita. Qui enim expreſſe ſibi inui-  
cem præſtationem Iuramenti Cal. remittunt, illi  
quaſi pacti ſecum videntur de lite pro cuiusuis li-  
bidine proſequenda, nam ſi vterque cauſam ſuam  
eſſe iuſtam ſibi perſuaſerit, & animo ſibi propo-  
ſuerit eandem licito modo peragendi, non video  
quare ſit detracturus Iuramentum Cal. Itaque non  
poſteſt non contrarium pactum cauſam ſuſpicionis  
ſuppeditare, id quod in caſu ſi vterque ſibi inuicem  
28 Iuram. Cal. remittat, manifeſtum eſt; ſi vnus tantum  
remittat alteri, non minorem ſuſpiciandi materiam  
præbet; aut enim confidit cauſæ aut ſecus, ſin illud,  
non poſteſt non credere alterius cauſam eſſe iniuſtam,  
cur igitur alteri remittit Iur. Cal? Dum ergo id facit,  
ſimul haud obſcure indicat, ſe ſuæ cauſæ non confidere,  
ſed alterius probabiliorem credere; quo caſu non ceſſa-  
bit iudex vterius inquirere, & præſtationem I. Cal. vr-  
gere, vt ita temeritas alterutrius eliciatur. Iſta vero  
29 omnia aliter ſe habent in remiſſione tacita. Eſt autem  
remis-



225

remissio tacita vt supra dictum, nihil aliud, quam omis-  
 sio exactionis huius iuramenti; vnde & Anton. Franc.  
*in addition. ad Panormit. in c. significasti: in verbo sibi iura-*  
*ret. de I. Cal. citatus ab Antonio del Re de Iur. Cal. c. 12. n. 8.*  
 putat, non dicendum esse quod *remitti* tacite, sed quod  
*omitti* possit. Quamuis nobis perinde sit, qua voce hic  
 quispiam vti malit, cum res eodem recidat; nam si  
 omitto, id quod exigere ab altero poteram, tacite hoc  
 remisisse censeor. Inde hoc casu liberatur alter a præ- 26  
 statione Iur. Cal. non ideo tantum, quia ego tacite re-  
 misi, non enim plane alterum ab eius præstatione libe-  
 rare poteram, quippe cum res ista in mea potestate,  
 sita non sit, quod publicæ utilitatis causa hoc  
 iuramentum introductum; sed & eapropter potissim-  
 um alter immunis est, quia & iudex, in cuius potesta-  
 te est arbitrari, an hoc iuramentum sit præstandum, vt  
 antecedenti capite vidimus, censetur ipsi tacite illud  
 remisisse. Dum itaque pars non vtitur iure suo, & iudex  
 etiam huius iuramenti præstationem non necessari-  
 am credit, nihil omnino iniquitatis metuendum in iudi-  
 cii, quod tamen in remissione expressa aliter esse, su-  
 pra demonstrauius. Sed instaret quispiam, forte 30  
 priuatim ac inscio iudice pactos esse inuicem litigan-  
 tes, quod non exigere velint hoc iuramentum, ac  
 ita eandem iterum subesse iniquitatem, imo eo pe-  
 iorem, quo occultior est, proinde melius esse, si nec ta-  
 cita remissio admittatur. Respondeo: Est tamen 31  
 adhuc diuersa ratio; sit enim ita, vti modo suppositum,  
 quamuis in facto hoc vnquam obtigisse dubitem, inde  
 tamen non statim vel vterque vel alteruter liber est,  
 nam & iudex semper omissam a partibus petitionem

L

sup-



supplere potest, atque hoc iuramentum ex officio exigere, id quod etiam facere debet, si non videat iustam causam, quare sit remittendum, vel etiam calumniam  
 32 metuat. Quod itaque asseritur, posse a partibus I. Cal. tacite remitti, illud non ita intelligendum, quod in tantum valeat ista tacita remissio, vt nec iudex aliud statuere possit, sed sub perpetua limitatione, si modo iudex præstationem huius iuramenti non vrgeat. add. P. Gregor. *Syntagm. l. 48. c. 6. n. 10.* Vasqu. *l. 2. controu. ill. 64. n. 20.* Io. Bapt. Afm. *de Execut. §. 3. c. 17. n. 1. & 2.* Imo idem ipsi licere quamuis conuentione iurata remissum sit I. Cal. asserit Vasqu. *l. 2. contr. 25. n. 5.*

Vidimus atque diluimus primam obiectionem,  
 33 nunc scrutemur alteram, qua dicebatur, taciti eandem vim esse quam expressi. Fateor, habet se ita regula, sed prout fata omnium pene principiorum sunt, vt exceptione non destituantur Philipp. Math. *ad L. 1. de R. In. 24.* ita de ista etiam regula idem dicendum. Communis  
 34 enim Dd. sententia est, taciti eandem vim non esse quam expressi, si agatur de actu annullando Hyppol. Riminaldus *Iun. l. 2. conf. 164. n. 15.* Alexander *l. 3. conf. 59 n. 15.* Tusch. *Pract. concl. tom. 8. lit. T. concl. 7. n. 35. & sequ.*  
 35 quod omnino huc applicandum, cum hic de annullando processu agatur. Imo & in prohibitis fallere istam regulam, ideo, quod ex tacito non inferatur consensus circa prohibita, asserunt Paul. de Castro *l. 2. conf. 259. in pr.* Aym. Crauetta *conf. 200. n. 7. & 8.* add. Card. Tusch. *cit. l. n. 39. & 41.* Et quid multa? sufficit legem hic aliud quidpiam statuere, hæc enim generalis est omnium regularum exceptio. Anton. del Re *cap. 12. n. 18.*

37

Clarissima itaque reddimus supra dicta ex iure  
 Cano-



226  
 Canonico, nunc videamus, quid de civili iure sentien-  
 dum sit, an & illud permittat tacitam partium remisio-  
 nem? Communis sententia est, nullam remissionem  
 iure civili permissum fuisse, siue expressa fuerit, siue ta- 38  
 cita Georg. Obrecht. *c. 11. n. 7. & seqq.* Donell. *l. 23. c. 3. lit.*  
*P. & ibi Hilliger, vt & ad l. 24. c. 21. lit. C.* Andreas Rauch-  
 bar. *P. 1. q. 11. n. 2. Staticus obseru. pract. c. 20. n. 95. seqq.*  
 cuius sententiæ fundamenta hæc sunt: Eandem esse 39  
 in remissione tam expressa quam tacita rationem,  
 quod scilicet publica vtilitate hoc iur. introductum, hinc  
 ei sua remissione præiudicium adferre non posse par-  
 tes, esse hanc formam ac ordinem iudicii & ab arbitrio 40  
 partium non dependere, claram insuper extare Impe-  
 ratoris mentem, dum in *L. 2. pr. C. b. t.* non aliter nec 41  
 actorem nec reum subire certamina debere vult, nisi  
 præstito hoc iureiurando; & inde sufficienter patescere,  
 non prius expectandum esse, an pars exegerit vel  
 remisit, sed id vltro expetendum; Imo manifestius 42  
 adhuc mentem suam declarare Imperatorem, dum in  
*d. L. 2. §. 4.* cauendum esse dicit, *ne forsitan quidam col-*  
*lusione aliqua videntes remittere videantur inter se huius-*  
*modi sacramentum, & ex prædicta dissimulatione eam san-*  
*ctionem deludant:* Vbi sine dubio, per collusionem & dis-  
 simulationem, Imperatorem nihil aliud intellexisse, quam  
 remissionem tacitam, existimant.

Nobis tamen, si quod res est dicendum, videtur 43  
 potius, eorum sententia præferenda, qui & de iure civili  
 tacitam remissionem permissam esse asserunt. Res  
 clarior fiet, si ita formemus quæstionem: An de iure  
 civili nullus sit Processus, si Iur. Cal. nec a parte nec a  
 iudice fuerit exactum? Expedita est hæc quæstio a no- 44



- nobis sufficienter in præced. Cap. III. vbi demonstravimus quod Iur. Cal. non sit absolutæ necessitatis in processu, sed tum demum, si & pars petierit, & Iudex adprobauerit; Quod si itaque pars non petat Iur. Cal. nec Iudex illud desideret, quis processum nullitatis arguat? Quando itaque pars tacite remittere dicitur Iur. Cal. hoc semper tacitam clausulam habet, si modo & iudex non exegerit; nam id certum est, non posse exinde quod Pars non exegerit hoc iuramentum, iudici etiam statim potestatem exigendi denegari, vti supra n. 29. a nobis traditum prolixius. Ius Canonicum ergo non nouum ius hoc passu constituit, sed illustrat saltem ius ciuile atque declarat ibi ipsum, quia scilicet tum temporis super hac quæstione in specie disputabatur.
- 47 Nec fundamenta deficiunt in iure ciuili; nam in *L. 34. §. 4. ff. de iureiur.* expressè dicitur, qui iusiurandum defert, eum debere prius de calumnia iurare, *si hoc exigatur*, quo ipso omnino innuitur, non præstandum esse Iur. Cal. si nemo id exigat. Cui textui non satisfaciunt dissentientes quando regerunt, loqui eum saltem de Iur. Cal. speciali & sic ad generale non esse extendendum, ob manifestam vtriusque disparitatem;
- 49 Fateor enim, agere ibidem Vlpianum de Iuram. malitiæ, fateor etiam, non in omnibus conuenire generale & speciale Iur. Cal. id vero diffiteor, quod non hoc
- 50 respectu eadem subsit ratio. Nam quousquisque est, qui non intelligat atque largiatur, teneri neminem in iudicio ad hoc iuramentum se offerre, sufficit enim secundum mentem Imperatoris, si modo paratus sit Actor, exigente Reo vel Iudice, ad hoc iuramentum præstan-



standum. Nec negligendus est textus in *L. 5. §. 14. ff. de 51*  
*N. O. N.* ubi clare asseritur, *Auctore Pratore* deferri iusiurandum calumniæ, quamvis enim pariter ibi de *I. Cal.* speciali quæstio fit, satis tamen *Cap. III.* demonstraui-  
 mus, iudicis officium in dilatione huius etiam iuramenti  
 primum locum occupare.

Quibus suppositis, facilis est ad contraria re- 52  
 sponsio, *primum* enim quod vrgetur, esse eandem remissionis tacitæ atque expressæ rationem, ex supra dictis corrui-  
 t, nec enim in tacita etiam remissione, sola partis omisio attenditur, sed & Iudicis conuiuentia :  
 Imo omittere quædam quæ iuris sunt, non tantam 53  
 præbet suspensionem, quam si illis expresse renunciatur,  
 est itaque omnino alia ratio expressæ, alia tacitæ remis-  
 sionis; Licet igitur *Iuram. Cal.* ob utilitatem publicam  
 introductum, illi tamen non præiudicatur per remis-  
 sionem tacitam, nam dum Iudex patitur omitti hoc  
 iuramentum, videtur *Reipublicæ* hoc casu non inter-  
 esse, sed actorem iustam litigandi causam habere. *De- 54*  
*inde*, nec absolute ad formam Processus pertinere hoc  
 iuramentum, supra demonstratum, nam ita ad formam  
 pertinet, si non Iudex remiserit, de quo in *Cap. III.* actum.  
 Nec refragatur *L. 2. pr. C. b. t.* manet enim regula gene-  
 ralis, ab omni litigante præstandum esse *Iuram. Cal.* qua 54  
 ipsa regula, non tollitur exceptio, si Iudex hoc Iuramen-  
 tum superfluum iudicauerit, quam exceptionem pariter  
*d. Cap. III.* prolixius demonstraui-  
 mus : tacita vero re-  
 missio partium nititur approbatione tacita iudicis. Ma-  
 gis videtur stringere *L. 2. §. 4. C. d. t.* sed æque nihil ad rem 56  
 facit textus iste, id enim tantum exinde euinci potest,



## 82 CAP. IV. DE REMISSIONE IVRAMENTI

remissionem partium tacitam non eius esse efficaciam  
 ut Iudici manus quasi liget; nam illud vult Iustinianus  
 ibidem, debere Iudicem caute attendere, an non eo ca-  
 su, si partes non exigant Iur. Cal. lateat quaedam fraus  
 atque collusio, & huic obuiam eum ire debere, si id a-  
 nimaduertat, atque inuitis partibus exigere Iur. Cal.

57 Quodsi autem Iudex videat, non subesse fraudem nec  
 collusionem quandam inter partes, quin tacite appro-  
 bare possit omissionem Iuramenti, nulli dubitamus,  
 nec in dicto textu prohibitum videmus, si sc. mentem &

58 rationem legis attendamus. Quibus accedit, quod iu-  
 dici illud tacite remittere non debeat esse prohibitum,  
 quod expresse ei licet; iam autem potest expresse remit-  
 tere Iur. Cal. a partibus exactum, ut precedenti capite  
 traditum, cur non & omissum tacite approbare possit?

59 Pater ex supradictis tam de Iure civili quam ca-  
 nonico, tacite quidem posse partes sibi inuicem re-  
 mittere Iur. Cal. si Iudex non contradixerit, sed non

60 expresse. Est igitur hoc exemplum regulæ a Mo-  
 destino propositæ in *L. Expressa 195. ff. d. R. I.* Expressa  
 nocent, non expressa non nocent. Quam regulam qui  
 exinde reiiciunt, quod illa interdum fallat, haud contra-  
 riantur Modestino, hic enim vtut indefinire formauerit  
 regulam, non tamen eandem pro vniuersali vnquam  
 venditavit, cum etiam in moralibus indefinita non  
 semper æquipolleant vniuersali: Nec ipsi Modestino  
 ignotum esse potuit, fallere eam sæpissime, maxi-  
 me in contractibus, vbi omnino non expressa nocent,  
 63 vid. *L. Veteribus 39 ff. de pactis.* Nec quisquam Dd.



quantum quidem memini, pro infallibili brocardico, panacea, aut herba betonica illam venditavit. Cui<sup>64</sup> non obijcias, reperiri tamen eam inter generales regulas Iuris, illi enim repono, propterea uon sequi, quod statim debeat esse vniuersalis, & data vna vel alrera exceptione, totam statim regulam reiiciendam esse; nulla enim tam firma regula est, quæ non exceptionem patiat. Imo manet regula, quamuis plures<sup>65</sup> exceptiones habeat, quam exempla consentanea. vid. Barbosa *thesaur. loc. com. Edit nou. l. 16. c. 30. axiom. 2.* cuius deductionem referuamus ad Cathedram. Ex mente itaq; Modestini reliquorumque ICtorum ita dicendum est: Multa expressa nocent non expressa non nocent,<sup>67</sup> Huius omnino manifestum exemplum est in expressa I. Cal. remissione, quæ nocet partibus, cum vicissim non expressa remissio non nocet. Similiter in<sup>68</sup> confesso esse existimo, non licuisse parentibus expresse permittere filiis suis, vt sine venia se inius vocarent, cum hoc pactum & hæc permissio ad delinquendum inuitauerit L. 1. §. 2. C. de in ius voc. talia autem pacta pro inualidis haberi notum est L. firmus 27. §. 3 ff. de pactis. l. 17. pr. ff. Commodati. L. 1. §. 7 ff. de positi. l. 5. §. 1 ff. de pact. dotal, licuisse tamen tacite hoc ipsis indulgere, patet ex L. 11. ff. de in ius vocand. Ex eadem ratione non substitisset pactum inter patronum & libertum, quod ille hunc ob ingratitudinem in seruitutem revocare no-<sup>70</sup> lit Bald. in L. fin. in f. C. de bon. liberr. Gomez, ad §. pœnales 12. Inst. de act. n. 31. tacite vero potuisse patronum huic iuri renunciare, nemo dubitabit, si scilicet<sup>71</sup> ingratitudinem æquo animo ferat. Hæc exempla cui nondum sufficiunt, is<sup>72</sup> adeat L. 52. ff. de Condit. & demonstr. L. 77. ff. de R. I. L. 65. §. 1. ff. de legat. 1. & alios textus.

Sed vt ad rem redeamus, quæ hoc capite a me inculcata sunt, quod partes non possunt expresse remittere Iuram. Cal. sed si id faciant, iudex teneatur id<sup>73</sup> ipsum exigere, illa non nimis crude ac sine omni exceptione sunt intelligenda, nam & hic aliquid tribuendum est arbitrio Iudicis, vt si is animaduertat, iustis-<sup>74</sup> simis ex causis etiam expresse a partibus remitti Iuram. Cal. non adeo refrage-<sup>75</sup> tur, sed id fieri sinat, si modo causa sit manifestissima. Res expeditior fiet per exemplum: scilicet notum est, quam sæpe præter omnem necessitatem religio-<sup>75</sup> siores sint homines circa materiam iuramentorum, ita vt quidam omnia citius perdant, quam aliquod iuramentum solenne præstent. Cum tali itaque homi-<sup>76</sup> ne si litigandum sit in iudicio, is vero nulla ratione ad præstandum iuramen-<sup>76</sup> tum calumnie adigi possit, & ita pars altera ipsi hoc iuramentum remittat, puro subsistere debere illam remissionem, si modo cui remittitur sit homo integræ vi-<sup>76</sup> tæ ac optime existimationis; nam si deterioris conditionis ac deprauatis mo-<sup>76</sup> ribus



77 ribus sit, & qui licita tantum iuramenta detrectat, illicitas autem ac nefarias execrationes in communi vita aceruatim absq; vilo conscientie scrupulo euomere solet, is sub amissione causæ ad iurandum compellendus est.

Eapropter si quis cum Anabaptista siue Memnonista, vt vocatur, 78 rem habeat in iudicio & illi Iuram. Cal. expresse remittat, ideo, quia falsa opinione ducuntur istius sectæ homines, quasi iurare omnino esset illicitum, hanc remissionem cum ex iustissima causa fiat, etiam si expresse a parte altera facta fuerit, tamen permittendam a Iudice esse existimamus. Imo 79 quamuis pars ipsa nolit hoc iuramentum calumniæ Anabaptistæ remittere, Iudicem tamen ex officio, nisi maxima calumniæ ad sit præsumptio, illud remittere debet, id quod ad cap. III. referre obliui sumus. Vbi tamen no- 80 lim existimet aliquis, nos in falsa illa at que erronea sententia esse, ac si omni- no omnia iuramenta huic hominum generi in iudiciis remittenda sint, id e- 81 nim minime faciendum esse existimamus, cum non confirmandi sint in fal- sa ista hypothesi ac si Christus *Matth. V. v. 34.* iuramenta necessaria & sen- 82 tentia iudicis exacta præstare prohibuisset, potius conuincendi sunt, & si tan- dem erroneæ opinioni, imo superstitioni suæ insistant, sibi id impudent, si hæc ratione causa cadant: Ita disputatum aliquando coram iudicio Hambur- gensi fuit, cum Anabaptistæ iuramentum suppletorium vi iudicati præstan- dum esset, an sententiæ satisfieri possit, si sub solita formula bey Mannett und Wahrheit animi sententiam exponeret? Pro affirmatiua pronuntiatum fuit Hamburgi d. 10. Maii 1678. a qua sententia cum reuiso petita, & acta Francofurtum transmissa essent, ab amplissima Facultate Iuridica Aliuslo- ci mutata fuit prior sententia d. 15. Nouembris eiusdem anni: Dasß es 83 schweren soll zu Gott und auf das heilige Euangelium. In iuramentorum enim præstatione inter illos, qui Christianæ Religionis participes esse vo- lunt, non indulgendum superstitionis opinionibus, sed Christiano more iu- randum. Quod autem a Iuram. Cal. liberandos esse Anabaptistas statuit, id ideo factum, quia non adeo necessarium est Iuram. Cal. quam quidem, si probationes deficiant, iuramentum iudiciale; itaque facilius illud quam hoc ipsis remittitur; nam hoc iuramentum omni litigio, approbante hoc Apostolo, finem imponit. *Hebr. 6. v. 16.*

Tandem etiam exceptionem illorum, quæ superius tradita sunt, for- mandam puto, in Iuram. Cal. speciali, hoc enim expresse etiam ab altera par- 84 te remitti posse, existimo, cum id ob priuatam vtilitatem, non publicam, introductum, cui renunciare nemini debet esse prohibitum vid. *Georg. O- brecht. de Iuram. Cal. c. 11. n. 12. & seqq.*


Hæc sunt L. B. quæ de materia non inutili differere volui, quæ defi- ciunt tua bonitate supple, errata corrige (*ac inter illa in specie cap. 1. n. 85. pro L. 6. ff. de postul. lege L. 6. C. de post. sed L. 78. ff. de Leg. 3. quæ præter mentem irrepfit, dele*) & si quæ perperam decisa inuenies, scias non o- 85 mnium idem esse iudicium. Deo vero optimo maximo, pro diuina gratia mihi præstita, deuotas perago grates, eique vteriores co- natus meos humillime commendo.

S. D. G.











VJ 18

ULB Halle  
002 047 861

3




sb











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

2. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS  
De

14  
1851  
1697 156 116

# Instrumenti Calumniæ Remissione,

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**N. FRIDERICO WILHELMO,**  
ELECT. BRANDENB. HEREDE &c.&c.&c.  
IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
CONSENSV ET AVTORITATE MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PRÆSIDE

**N. IO ANNE SAMVELE  
STRYKIO,**  
DOCT. PROF. PVBL. ORDINARIO, ET FACVL-  
TAT. IVRID. PRODECANO,  
ATRONO SVO ETATEM NVN QVAM NON COLENDO,  
**PRO LICENTIA**

summos in vtroque Iure Honores & Priuilegia capeffendi,  
*In Auditorio Maiori horis ante & pomeridianis,*  
*D. Februar. Ao. MDC XCVII.*  
Placidæ eruditorum disquisitioni submittit  
**Io. ECKHARD. Wolland!**  
Gudensberga Hassus.

**LÆ MAGDEBURGICÆ,** Litteris Chr. Henckelii, Acad. Typogr.  
ANNO MDCCV.

